Gitlbauer.

Als schwachen Ausdruck
aufrichtiger Verehrung u. herzlicher Dankbarkeit

der Verfasser.

DE

CODICE LIVIANO VETUSTISSIMO

VINDOBONENSI

Ad summos in philosophia honores ab amplissimo ordine philosophorum
Vindobonensium rite impetrandos scripsit

MICHAEL GITLBAUER,
Can. Reg. ad S. Floriani.

VINDOBONAE.
Apud C. Geroldum filium, bibliopolam.
MDCCCLXXVI.

GVILELMO · HARTELIO

MAGISTRO

PLVRIMVM · COLENDO

VITA.

Natus sum a. d. III. non. Sept. anni 1847 Lintmuntingae, in vico Austriae superioris prope Lentiam sito. Cum neque corporis vires ad exercendum aliquando patris, fabri ferrarii, artificium suppetere viderentur et qui elementa me docebant magistri, ut studia litterarum capesserem, suaderent, puer decem annorum gymnasium Lentiae frequentare coepi. Emenso anno 1865 studiorum curriculo ordini Canonicorum Regularium S. P. Augustini nomen daturus Canoniam ad S. Floriani intravi. Sacerdotio initiatus anno 1870 in vicum Austriae superioris, cui Ried nomen est, missus sum animarum curae operam navaturus. Biennio post in Canoniam revocato mihi thesauri nummorum veterum custodia primo credita, dein per semestre anni 1873 aestivum, ut in academia domestica docerem theologiam moralem, est mandatum. Ab semestri hiberno 1873/74 per duos deinceps annos in Universitate Caesarea Vindobonensi facultatis philosophicae studiis vacavi ac per totum illud tempus inter sodales eram seminarii philologici.

Restat, ut iis, quorum aliquod est de his studiis meis meritum, debitas gratias referam atque omnium primo Reverendissimo Domino Ferdinando Mosero, Canoniae Florianensis Praeposito illustrissimo, qui, qua est cum in reliquos Canonicos eius tutelae commissos tum in me paterna pietate ac singulari benivolentia, et ut studiis me dederem philologicis voluit et ut cum rei litterariae fructu ea possem exercere omni modo me adiuvit. Quod vero in haec potissimum studia Liviana incidi, Guilelmo Hartelio, magistro doctissimo ac perquam dilecto, qui me numquam suo consilio carere passus est, debeo. Ut vero per tantum

temporis spatium fere cotidie codicem sane pretiosissimum tractare possem, gratia ac liberalitate eximia factum est eorum, qui bibliothecae Caesareae Palatinae Vindobonensi praesunt viri clarissimi, inprimis Ernesti Birkii, bibliothecae praefecti illustrissimi, Josephi Hauptii, Alfredi Goeldlinii de Tieffenau.

Viris vero de studiis meis in universum meritis summoque colendis, cum hanc nactus sim occasionem non possum non maximas agere gratias, inprimis Emmanueli Hoffmanno professori doctissimo, cuius insigni et doctrina et benivolentia per quattuor semestres seminarii sodalis usus sum, Joanni Vahleno, cuius disciplinae me per annum etiam fuisse alumnum grata numquam excidet memoria, Carolo Schenkelio, quem cum iam admodum iuvenis ignotum mihi colere ac venerari coepissem, nunc ut magistrum haberem mihi contigit; deinde etiam professoribus optimis A. Conze, M. Buedinger, F. Mueller, C. Tomaschek, R. Heinzel, R. Zimmermann, F. Brentano, Th. Vogt, quorum Buedingerus, Heinzelius, praeterea etiam Th. Sickelius, studia haec Liviana prompto auxilio adiuvarunt. — Denique oro atque obsecro, ut opusculum hoc quicumque inspicient, si quid minus probaverim, non a viro iam pridem in hoc genere studiorum versato, verum ab homine in re litteraria novo profectum esse benivole recordentur.

Vindobonae, a. d. XII kal. Mart. MDCCCLXXVI.

Inter pretiosos codices manuscriptos, qui in bibliotheca Palatina Vindobonensi adservantur multi, egregium locum obtinet, qui nota insignitus *15*, *olim Hist. prof. 626*, Livii ab urbe condita libros XLI—XLV continet. Perpauca sunt, quae de codicis huius fatis constant. Apud Petrum Lambeccium [1]) haec leguntur: *Est autem hoc illud ipsum authenthicum Exemplar mstum, ex quo Simon Grynaeus iam memoratos quinque libros A. 1531 Basileae typis Frobenianis primus in lucem edidit cum Desiderii Erasmi Rotterodamensis Praefatione ad Carolum Montiojum.* Qua in praefatione docemur ab Erasmo, eam editionem revera esse *quinque libris modo repertis auctam, quos bono quodam ingenio in bibliotheca monasterii Laurisseni aut ut vulgo Lorsensis, repperit Simon Grynaeus* [2]), *vir ut in omni genere literarum citra supercilium eruditus, ita provehendis liberalibus studiis natus.* Quae vero fuerint codicis fata, antequam Laurisheimi repertus est, ex pluribus indiciis in ipso codice observandis, subscriptione codicis folio extremo adpicta, quaternionum notis, numeris quibusdam litterisque in nonnullis foliis adscriptis, vocabulis denique vocabulorumve partibus in foliorum confinio repetitis perspici licet. Atque subscriptio maximi momenti est ad codicis originem primaque eius fata enucleanda; quaternionum notae plurimum valent ad accurate definiendas quot quaeque interciderint codicis partes; numeri et litterae mirum quantum ut intellegamus, quomodo factum sit, ut

Codex Laurisheimensis reperitur a Simone Grynaeo.

---

[1]) Cf. *Commentariorum de Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi Lib. II*, p. 943.

[2]) Anno 1527, id quod constat ex epistula Grynaei ad Philippum Melanchthonem a M. Hauptio in Ind. schol. Berolin. 1856—57 edita.

tot codex hodie laboret lacunis, conferunt; vocabulorum denique repetitiones quae ad reficiendum foliorum ordinem postea tentata sint nos edocent. Quae modo breviter significavimus, iam singillatim uberius exponemus.

Codicis subscriptio.

Haud facile quidquam acrius exercuit viros doctos quam ea quae in ultima codicis Liviani pagina legitur subscriptio, quam Lambeccius, ubi de codice loquitur[1]), ne verbo quidem commemoravit, Vahlenus vero[2]) extrema tantum subscriptionis verba *de dorostat* agnovit; Endlicherus[3]) quique Madvigii causa librum recognovit, *sutberti epi de dorostat* ibi exstare adfirmaverunt. Sed quae inde conclusit Endlicherus, *scripsisse haec Suithbertum monachorum Scotorum unum ex Hibernia in Germaniam saeculo VII translatorum christianaeque fidei apud Frisios primum apostolum, quem Dorostadii per biennium praedicasse vita eius tradit*, aeque parum fidei mereri ac vitam istam commenticiam comprobarunt, qui post Endlicherum in illius paginae photographia, *in qua litterae aetate obscuratae clarius fortasse quam in ipso codice cernerentur*, scripta esse litteris saeculi circiter octavi haec: *iste codex est Theutberti epi de Dorostat* viderunt, Mommsenus, Jaffeus, Hauptius; quorum Jaffeus difficultatem, quam ea praebet subscriptio, cum *Dorostati, id est Wyk by Duurstede ad fluvium Leck, episcopum nullo tempore sedem habuisse* videatur, ita removere conatus est, ut Theutbertum illum quaereret *in laterculo episcoporum Ultraiectinorum* — nam *Ultraiectum in diplomate Caroli magni a. 777 appellari Traiectum vetus subter Dorestado* — *reperiri autem ibi sub finem saeculi VIII., ab a. fere 785 ad 791 episcopum dictum Theodardum, pro quo nomine sibi videri restituendum esse ex codicis subscriptione Theutbertum.* Muellenhoffius praeterea Mommsenum admonuit *presbyteri cuiusdam scholae Ultraiectinae nomine Thiatbrat saeculi octavi commemorati apud Altfridum in vita S. Liudgeri c. 15 (mon. Germ. 2, 409).* — Has a viris doctissimis

---

[1]) Cf. Comment. libr. II. p. 854 edit. alt.

[2]) Cf. *Analecta Liviana ediderunt Th. Mommsen et G. Studemund. Lipsiae 1873*, p. 5.

[3]) Catal. codd. phil. Lat. bibl. Pal. Vind. p. 49 seq.

de subscriptione codicis prolatas explicationes praemittendas esse censuimus, priusquam ipsi quaestionem, quam de hac re instituere in animo est, adgrediamur.

Scripturam theatberti

Primum quod ad genuinam subscriptionis lectionem adtinet, quamvis Mommsenus ad verum propius accedat, tamen ut subscriptionis reliquias recte perviderit vereor. Equidem ut concedam syllabam *dex* verbi *codex* in tab. IV. Anal. Livian. addita clarius adparere quam in ipso codice, ingenue tamen fateor neque reliquarum litterarum quicquam planius me conspicere neque nomen in eo obscurius esse quam in photographia; immo ipso codice iterum iterumque per variam lucis commoditatem inspecto tandem non *theutberti*, sed *theatberti* nomen certo deprehendi. Ut ita legerem, initio inprimis forma litterulae *a*, quam in utraque voce et *dorostat* et *theatberti* prorsus eandem conspexi, adductus sum. Neque haec nominis lectio argumentis a Frisonum lingua repetitis destituitur; ita enim hac de re Heynius docet: *Von den im Gothischen und Ahd. erscheinenden Diphthongen ist im Friesischen nur einer erhalten, iu, mit den Schwächungen io und ia, deren Gebiet sich so vertheilt, dass iu und io meist vor einem ursprünglichen i oder u zweiter Silbe erscheinen, ia in einsilbigen Wörtern und vor einem a der zweiten Silbe steht. Beispiele: diore, diure (carus) sione, siune (visus) hiona, hiuna (conjuges) fior, fiur (ignis) liode, liude (homines).... ia waltet in diar (fera) liaht (lux) liaf (carus) siak (aegrotus) thiade (populus), goth. (thiuda) driaga (decipere) fliaga (volare) driapa (stillare) kriapa (repere) und es tritt im Praesens dieser starken Verba Wechsel zwischen iu (io) und ia ein, dergestalt, dass jenes die* II^{da} *und* III^{a} *des Singulars, dieses die* I^{a} *Sing. und der Plural Indicativi für sich nimmt; man conjugiert also niate (fruor) niutst, niuth (die Rüstringer niotst, nioth) plur. niatath*[1]). Ad quae exempla si respexeris, iam intelleges, cur apud eosdem Frisones et Liudgerus et Thiatgerus inveniatur.

confirman rationes grammaticae,

[1]) Cf. M. Heyne. *Kurze Laut- und Flexionslehre der altgermanischen Dialecte. Paderborn 1874*, p. 71.

fontium testimonia.

At dicet aliquis habere in hac lege exceptiones quoque locum. Priusquam hanc rem in disceptationem quaestionemque vocemus, inquirendum nobis erit, a quibusnam rerum scriptoribus formae nominum Frisicorum genuinae memoriae sint proditae. Atque cum neque lex Frisonum neque liber ille, quo s. Liutgerus, oriundus et ipse a Frisonum gente, b. Gregorii magistri sui vitam conscripsit, nomina Frisica quae huc faciant commemorent usquam, adeunda omnium prima erit ipsius s. Liutgeri vita, cuius auctori Altfrido, qui illi post Gerfridum in episcopatu successerat Mimigardefordensi (839—849), quamvis aequalis non sit b. Liutgeri, maxima tamen in iis, quae de rebus nominibusque Frisicis refert, fides debetur. Nam cum Altfridum Liutgeri nepotem atque Frisonem fuisse constet et ipse *actus S. Liutgeri auditu se didicisse* adfirmet, *attestantibus illis qui ab infantia illum noverant atque ab eo eruditi fuerant,* non est, cur auctoritati eius fidem denegemus. Porro cum altera s. Liutgeri vita a monacho Werthinensi post annum 864 p. Ch. conscripta non tantum in partibus ex priore vita sumptis sed in iis etiam, quas de suo addidit, prorsus similes nominum propriorum formas exhibeat, utique linguam, qua et Franci et Saxones, qui circa Werthinense monasterium habitabant, utebantur, a Frisonum lingua non multum discrepasse consectarium est. Quare temerarium non erit in tractanda hac quaestione testes adhibere et alteram s. Liutgeri vitam et vitas s. Willehadi ab Anskario saeculo nono, s. Anskarii ab Rimberto non multo post Anskarii mortem, ipsius Rimberti exeunte saeculo decimo conscriptas [1]) et diplomata monasterii Werthinensis vetustissima ex libro chartarum, quem *Chartularium Werthinense* vocant, a Lacombletio publici iuris facta [2]), cui saeculo nono Altfridi episcopi iussu conscripta esse videntur. Quibus testi-

---

[1]) Cf. Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter. Berlin 1866,* p. 166 sqq.

[2]) Cf. Lacomblet: *Niederrheinisches Urkundenbuch. Düsseldorf, 1740,* t. I.

moniis adiungenda erunt quae a libro privilegiorum maiore monasterii Werthinensis circa a. 1160 conscripto, cuius quasdam partes Crecelius [1] vel primus vel accuratius imprimendas curavit, suppeditantur. Quos fontes si diligenter exhauseris, ut vel unum exemplum invenias nominis proprii, cuius pars prior theut scribatur, perquam vereor. Neque vero provocare licebit ad quaedam formae tionis theod exempla, quae in diplomatibus his inveniuntur: Forma theut nusquam invenitur.

De forma theod.

Lc. 3	a. 793 [2])	*theodbert.*
Lc. 39	a. 820	*theodbald.*
Lc. 40	a. 820	*theodgrim tradidit et sign.*
		sig. theodi.
Lc. 42	a. 826	*theodbald.*
Lc. 50	a. 836	*ego theodold...*
		sig. theodold...

Etenim haec diplomata partim in Werthinensi monasterio scripta non sunt (velut 3), partim quamquam in monasterio scripta nomina habent hominum, qui pro lingua sua pronuntiantes non thead, sed theod subscripserunt. Id quod evincitur diplomate 50; nam cum et *indignus subdiaconus*, qui *rogatus scripsit* diploma, *thiadgerus* et monachus, qui testis officio non in hoc tantum, sed aliis quoque diplomatibus confirmandis functus est [3]), *theadradus* subscribendo usum loquendi, qui in ipso monasterio vigebat, sequerentur, duorum fratrum, qui *in uilla que dicitur uuiti ad . XX . porcos pastionem* monasterio donarunt, alter subscribendo *theodold* differre suae regionis linguam a Werthinensi clare indicavit. Ne quis vero credat haec

---

[1]) Cf. *Collectae ad augendam nominum propriorum Saxonicorum et Frisiorum scientiam spectantes. Ed. Wilh. Crecelius, Dr. I. Index bonorum et redituum Monasteriorum Werdinensis et Helmonstadensis saec. X. vel XI. conscriptus. Elberfeld. 1864. II. a. Indices antiquissimi eorum, quae monasterio Werdinensi per Westfaliam redibant. Part. I. Berolini. III a. Traditiones Werdinenses Part. I.* ib.

[2]) i. e. Lacomblet, *Niederrhein. Urkundenbuch*, num. 3, diploma est anni 793.

[3]) Cf. num. 51, 53, 57, 60.

subtilius quam verius a nobis esse excogitata, etiam diplomate 39, ubi *theodbald* inter testes legitur, de donando agro qui *in uilla uuiti* situs est agitur, et diploma 3, in quo *theodbertum* quendam invenimus, *in uuidugises houa* scriptum est. Cumque diploma 40, quo *theodgrim hereditatem in uilla que dicitur arlo. in pago threant* tradidit monasterio cuique *theodi* quidam subscripsit, non in ipso monasterio, sed in pago *mimigernaford* scriptum sit, etiam, quod ad dipl. 42 adtinet, similem causam, qua ratio subscribendi *theodbald* explicetur, licebit suspicari. Luculentissime autem haec sententia, qua scripturam theod ex eorum, qui ita subscripserunt, lingua aliquantulum diversa profectam esse defendimus, probatur illa Chartularii Werthinensis parte, quae apud Lacombletium l. c. numero 30. insignita *de holtscara in uuiti* agit[1]; ibi enim qui *commemoratorium* istud conscripsit, fratrum duorum, qui monasterio *ad XX porcos pastionem* donarunt, alterum, qui ipse *theodold* subscripsit[2]) non ex illius dialecto *theodoldum*, sed sua ipsius Werthinensi usus *Thiatholdum* nominat[3]).

De formis thiod et tiud. Idem fere dicendum est de latifundiorum, quae anno 855 p. Ch. hereditatis iure in monasterii dicionem venerunt, indice, qui apud Lacombletium num. 65, apud Crecelium in III. partis p. 32 sqq. legitur. Namque in ea parte, qua de Francorum *pago qui dicitur Felua* agitur, praeter quinque nomina, quae *ia* ostendunt (*Liafger, Thiatlef, Thiatger, Thiatgif, Thiadmar*) invenitur etiam *Thiodbold*, cum neque ubi de agris in Frisia sitis sermo est neque inter subscriptores nomen a thiot incipiens legatur, quamvis quattuor eius generis nomina adsint (*Thiaduuold, Thiaddag, Thiadric, Thiadrad*). — In illa quoque nominum Frisiorum copia, quae apud Crecelium I. inde a p. 12. leguntur, si excipias locorum nomina, quorum *Tiudingi* bis (p. 12 et 16), *Tiudingtiochi* semel (p. 25) legitur,

[1]) Cf. Crecel. III. p. 28 — 29.
[2]) Cf. quae supra ad n. 50. explicandum exposuimus.
[3]) Cf. Crecel. III. p. 29 (s).

ex lege grammatica supra adlata facillime explicanda, et formas nonnullas saeculi recentioris decimi vel undecimi notam prae se ferentes[1]), reliqua nomina (XXVI) partem priorem thiad ostendere neque diphthongo eu locum in iis esse facile tibi persuadebis.

Constare igitur videtur in Frisiorum nominibus cum voce *thiad(e)* compositis *eu* diphthongum numquam, *iu*, nisi i litterula sequatur, non inveniri.

theat et thiat idem valere defenditur

At non omnis remota esse videtur difficultas, cum in codicis Vindobonensis subscriptione non thiatberti, sed theatberti legatur. Quam difficultatem nullius prorsus momenti esse facile ex iis quae secuntur conligi potest.

ex ratione grammatica,

Diphthongum ia ex iu secundum certas leges proficisci supra vidimus; sed neque ipsa diphthongus iu genuina est, verum orta vocali incremento ex u, cui vocalis praemittitur quae plerumque litterula i significatur, sed cuius loco, cum incertae admodum sit naturae, etiam e littera scripta invenitur. Unde fit, ut dupplices fere diphthongorum formae et iu, io, ia et eu, eo, ea deprehendantur[2]). Incertissimae, qua est haec litterula, naturae manifestum documentum inest in diplomatibus, quae apud Lacombletium numeros 76, 77, 93 occupant atque intra XVI. annorum spatium[3]) scripta has ostendunt subscriptiones:

76. Ernustius notarius ad uicem thiotmari archicappellari recognoui.

---

[1]) Sunt XI nomina: Dodo, Deddi, Tedi, Thiedrik p. 16, Deddi p. 17, Dudo p. 19, Thiezelin p. 20, Thiedold p. 23, Tetta, Teta p. 27, Tiedui p. 28.

[2]) Omnes hat formas suppeditant: *Traditiones Wizenburgenses* (ed. Zeuss. Spirae. 1842):

Tiude	num.	398,	
Theuderici	„	8	(anni 737),
Thioterici	„	49	(„ 858),
Theoderici	„	14	(„ 739),
Thiatramno	„	143	(„ 745),
Theatramno	„	193	(„ 764).

[3]) 76 et 77 sunt anni 888, 93 anni 904.

77. *Aspertus cancellarius ad uicem* ***theotmari*** *archicappellani recognouit.*

93. *Ernustus cancellarius ad uicem* ***thieotmari*** *archicancellarii recognouit.*

ex fontium testimoniis.

Id quod modo ex ratione grammatica defendimus, ea passim pro ia inveniri, etiam ipsorum fontium testimoniis comprobatur. Nam invenimus in antiquissimis Werthinensis monasterii diplomatibus **Thiatbaldum** quendam inde ab anno 834[1]—846 octies inter subscriptores; qui quidem et **thiatbald** et **theatbald** subscripsit, eadem prorsus ratione, qua alius subscriptor et **theadradi** et **thiadradi** forma utebatur. Ad quam rem clarius perspiciendam non ab re erit ex Lacombletio nominum testimonia cum accurata annorum significatione haec adferre:

num. 47. a. 834 *Sig. theadbaldi.*
„ 49. a. 836 *Sig. thiadbaldi.*
„ 50. a. 836 (*ego theodold et frater meus thrudger...*)[2] *Sig. thiadradi.* *Ego thiadgerus indignus subdiaconus scripsi rogatus et subscripsi.*
„ 51. a. 836 *Sig. theatbaldi.*
„ 53. a. 838 *Sig. thiadradi.* *Sig. theatbaldi.*
„ 54. a. 838 *Sig. thiatbaldi.*
„ 57. a. 843 *Ego thiathardus diaconus s. r. e. s.* *Sig. thiadradi* *Sig. thiadbaldi.*
„ 58. a. 844 *Ego thiathardus diac. s. r. e. s.* *Sig. thiatbaldi.*
„ 60. a. 845 *Ego thiathardus d. s. r. e. s.* *Sig. theadradi.*
„ 62. a. 846 (*vel 847*)[3] *Ego thiathardus d. s. r. e. s.* *Sig. thiadbaldi.*

---

[1]) Formam **theotbald** quam in annorum 820 et 826 diplomatibus legimus, non confundendam esse cum forma nominis, qua is de quo nunc agimus subscripsit, iam supra ostendimus.

[2]) Cf. p. 5.

[3]) Cf. Crecel. III p. 28.

De Thiatbaldo vel Theatbaldo Theatberti discipulo.

Cum Altfridus, qui episcopus Mimigardefordensis (839 — 849) precibus monachorum Werthinensium permotus s. Liutgeri vitam conscripsit, inter auctores homines illi et familiares et alumnos, quorum *auditu actus S. Liutgeri didicerit*, etiam Thiatbaldum eumque post Hildigrimum qui anno 827 obiit[1]) commemoret, Thiatbaldum hunc eundem esse atque subscriptorem modo commemoratum verisimile est. Nam cum inde ab anno 796 ad 806 quindecim diplomata, quae ad donationes pertinent Liutgero factas, idem *Thiadbaldus humilis presbyter rogatus scripserit et subscripserit* neque iis temporibus homines admodum iuvenes ad presbyteratus ordinem admitterentur, non multum errabimus, si statuerimus, anno 796 Thiadbaldum circiter triginta annorum fuisse. Quodsi puer tredecim vel quattuordecim annorum s. Liutgeri familiaritate uti coepit (namque inter eos erat, qui teste Altfrido *ab infantia illum noverant atque ab eo eruditi fuerant*), ad annum 779 vel 780 devenimus, quo ipso tempore sub Alberico episcopo Ultraiectensi Liutgerum, donec anno 782 rebellantibus duce Widukindo Saxonibus ad fugiendum cogeretur, magistri munere functum esse infra demonstrabitur. Qua sententia accepta veri non fit dissimile Thiatbaldum illum fuisse non solum s. Liutgeri (qui mortuus est anno 809) comitem perpetuum, verum etiam apud Gerfridum, s. Liutgeri nepotem eundemque tertium monasterii Werthinensis abbatem (827—839)[2]), et apud eum qui ei successit Altfridum (839—849), magnae fuisse auctoritatis. Eo tantum tempore, quo Hildigrimus, s. Liutgeri frater, monasterio praeerat (809—827)[3]), cum nullum adsit diploma Thiadbaldi nomine subscriptum, eum in monasterio non commoratum esse licet suspicari. Mortuus autem esse videtur octoginta fere annos natus anno vel 846 (vel 847) vel paulo post, cum nomen eius in nullo proximi temporis diplomate legatur. Is Thiadbaldus quem a s. Liutgero *ab infantia eru-*

---

[1]) Cf. Crecel. III. p. 17.
[2]) Cf. Crecel. III. p. 24.
[3]) Cf. Crecel. III. p. 17.

ditum esse certo scimus, etiam Theatberto, codicis Liviani subscriptore, sine dubio magistro usus est, cum et s. Liutgerum et Theatbertum eodem tempore scholam Ultraiectinam gubernasse paulo infra demonstrabimus. Habemus igitur dupplex scripturae Theat exemplum, quorum Theatbert memoriae mandavit magister alterum, alterum Theatbald discipulus.

De Theadrada Theatberti aequali.

Aliud quoque in promptu est testimonium, unde exeunte saeculo octavo formam Thead in iis regionibus non inusitatam fuisse liquet. Ericus et Ermenfridus fratres *tradiderunt pro . XXX . solidis duas partes de illa foreste ad arnapa. qui amulric fuit. et theadradan quem ipsa theadrada antea tertiam partem et . V . traditam habuit.* Quod diploma anni 816 (Lacombletianum 32) alio eiusdem anni (Lac. 33) confirmatur, quo iidem fratres tradere se testantur *duas partes de illa foreste que est super fluvio arnapa in pago nieuenem* addentes: *quicquid pater noster . amalricus . nobis dimisit in hereditatem.* Quo diplomate cum superiore conlato Theadradam uxorem fuisse Amalrici, quem iam anno 795 *locum qui uocatur ad crucem in ripa fluuii arnapi* Liutgero donasse diploma Lacombletianum quintum testatur, eandemque fratrum illorum matrem; eam vero Theatradam Theatberti qui codicem Livianum subscripsit fere aequalem fuisse adparet.

Dubium igitur esse nequit, quin saeculo octavo et nono utraque forma et *Thiadberti* et *Theatberti* uti licuerit. Unde sequitur nullam inesse in codicis Liviani subscriptione *Theatberti* offensionem.

Haec de nomine ipso exposita cum sufficiant, iam de auctore ipso, qui nomen inscripsit codici Liviano, videamus.

Theatbertus epus dedorostat

Qui vero ille fuerit, res videtur esse apertissima, post theatberti enim legitur, epi dedorostat[1]); sed latent

[1]) Nam ita scriptum est, non ut in Anal. Livian. invenitur distinctis verbis *epi de dorostat.*

difficultates quam gravissimae. Iam supra memoravi, dubitare Jaffeum, num Dorostadii umquam fuerit sedes episcopalis, neque dubitationem istam improbaverim, cum nusquam alibi vel levissimum exstet huius sedis episcopalis indicium. Sed ne in eam quam inde deducit Jaffeus abeam sententiam Theatbertum *illum probabiliter quaerendum esse in laterculo episcoporum Ultraiectinorum*, plura videntur obstare.

Traiectum vetus subter Dorestado dictum procul dubio est ad determinandam accuratius regionem, in qua urbs ista sita erat, neque eiusmodi dicendi genus a nostro abhorret more, quo loca eodem nomine insignita addito alio nomine discernimus v. c. *Baden bei Wien*. Scimus autem Ultraiectum vocatum esse *Traiectum ad Rhenum*, quo nomine a *Traiecto ad Mosam* (h. e. *Mastricht*) distingueretur [1]. — Quid igitur verisimilius quam additum esse nomen proximi loci, qui alicuius existimabatur esse momenti atque famae? Nimirum urbis celebrioris nomen addi non potuisse inde facile intellegitur, quod Traiectum totius regionis caput erat. Fuisse autem *Dorstad famosum vicum* ex vitae s. Gregorii a s. Liutgero conscriptae c. 10 scimus: *B. Gregorius Traicctum, antiquam civitatem et vicum famosum Dorstad, cum illa irradiavit parte Fresoniae*... [2]). Unde adparet, minime confundi inter se posse *Traiectum vetus*, quod hoc loco *antiqua civitas* vocatur, et *Dorestadium*, quod *vici* nomine clare ab *Traiecto* distinguitur; neque apud nos, ut exemplo utar supra adlato, umquam aut licuit aut licebit archiepiscopum Vindobonensem vocare Badensem, neque magis Badensem, si ibi esset sedes episcopalis, Vindobonensem.

appellari nequibat episcopus Ultraiectinus.

An vero episcopos incertis sedibus, ut modo Traiecti, modo Dorostadii habitarent, fuisse censeamus? Quod ita

---

[1]) Cf. *Batavia Sacra, Bruxellis 1714*, p. 75. XI et *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae, quotquot innotuerunt, a. b. Petro Apostolo edidit P. Pius Bonif. Gams Ratisb. 1873.* pag. 248 (4) et 255 (10).

[2]) Cf. Mabillonium in *Mignii Patrologiae cursu completo*, tom. XCIX. p. 759.

fuisse ne statuamus, vetant, quae in eadem vita leguntur: *Deinde senescente eo* (i. e. s. Willibrordo) *in opere Dei et stabilito episcopatu in loco, qui nuncupatur Trajectum et alio nomine Wiltaburg et migrante ad Dominum de hac luce, successit s. Bonifacius idem archiepiscopus et martyr*[1]). Cum igitur nulla omnino adpareat causa, ob quam Theatbertus ille, si fuisset episcopus Traiectinus, non subscripturus fuerit *episcopi Traiectini*, sed *epi dedorostat*, temerariam censuerim esse rationem, quam, ut removeret difficultates, Jaffeus iniit. Quid igitur faciendum?

S. Gregorius abbas episcopus appellatur.

Inter episcopos Ultraiectinos, qui altero enumeratur loco[2]) s. Gregorium non episcopum, sed abbatem et rectorem tantummodo fuisse ecclesiae Ultraiectinae his confirmari potest argumentis. Lullus Gregorium epistulae, quam ad eum intra annos 755—757 dedit, initio ita adloquitur: *Clarae Christi ecclesiae lampadi luciferae meoque in doctrina divinae legis doctissimo adiutori Gregorio, duplici presbiteratus abbatisque honore cum precedente propriorum meritorum suffragio decorato*[3]). — Porro qui vitam s. Gregorii scripsit b. Liutgerus discipulus eius, nusquam eum vocat episcopum, sed ita de eo loquitur: *Est mihi sermo iste de domno Gregorio abbate et praeceptore meo ab infantia*[4]). — *Inter quos b. Gregorius columna Ecclesiae Dei inventus est: qui in diebus religiosissimi regis Pippini succedens magistro, genti Fresonum missus est praedicator*[5]). — *Similiter et fidelis discipulus ejus* (b. Bonifatii) *Gregorius adjutor infatigabilis in opere Dei cum magistro remansit* in custodia et educatione gregis Christi, *factus secundus pastor*[6]). Consentiunt etiam Altfridi verba,

---

[1]) Cf. ib. c. 14. p. 763.

[2]) Cf. Gams l. c.

[3]) Cf. *Bibliotheca rerum Germanicarum ed. Jaffé, tom. III. Monumenta Moguntina. Berolini 1866.* — Est inter s. Bonifatii et Lulli epistulas 103. p. 270.

[4]) Cf. vitae S. Gregorii c. 12. l. c. p. 752 sqq.

[5]) Cf. ib. p. 753.

[6]) Cf. ib. p. 756.

quae in vitae s. Liutgeri c. 10 leguntur[1]): *Venit interea vir quidam de terra Anglorum, Alubert nomine ad abbatem Gregorium... Quem abbas Gregorius libenter suscepit et comperto, quod esset vir bonus et doctus suasit ut sibi coepiscopus fieret. Non enim fuerat idem Gregorius ad episcopalem gradum ordinatus, sed presbyterii perseveravit in gradu.*

Quamvis autem verus episcopus non fuerit Gregorius, tamen munera eum obiisse episcopi et ita quodammodo appellari potuisse episcopum ex loco adlato manifesto sequitur; nam quo iure suaderet Aluberto, *ut sibi coepiscopus fieret?* Sed adferri praeter ea alia possunt testimonia, unde s. Gregorium muneribus quibusdam episcopi functum esse videmus. Scribit enim s. Lintgerus in vitae s. Gregorii c. 14[2]): *Ipse quoque b. Gregorius a Stephano apostolicae sedis praesule et ab illustri et religioso rege Pippino suscepit auctoritatem seminandi verbum Dei in Fresonia.* Et paulo infra: *Cui* (i. e. b. Bonifatio) *et succesit pius haeres ejusdem gentis Fresonum pastor et praedicator ordinatus a Domino et a principibus supra dictis Ecclesiae Dei.* Luculentissimum autem huius rei testimonium videtur esse Hucbaldi, qui in vita s. Lebuini haec scribit: *Lebuinus ex Anglorum patria oriundus.... evectione navali Traicctum petiit.... ubi reperiens quemdam venerabilem virum, nomine Gregorium, ex nobili Francorum sanguine procreatum, a b. Bonifacio archiepiscopo olim a pucritia enutritum, gradu ecclesiastico presbyterum, sed tunc pro tempore episcopalis officii in eodem castro vel etiam parochia vicarium, exposuit ei omnem suae peregrinationis, sibique commissae praedicationis textum*[3]). Quibus cum testimoniis

---

[1]) Cf. *Mon. Germ.* SS. II. p. 407.

[2]) Cf. Mab. apud Mignium, ib. p. 763.

[3]) Cf. Pertz II. p. 361; conscripta haec vita est ineunte saeculo decimo; cf. Wattenbach, l. c. p. 166.

certissimis quod pugnat diploma Caroli M. ad annum 769 referendum, id diplomatis potius quam testimoniorum quae adtulimus fidem debebit infringere[1]).

De simili b. Albrici condicione.

Similis fere erat condicio eius qui successit b. Albricus, quem apud Altfridum[2]) legimus et *suscepisse curam pastoralem* et misisse Liutgerum *diaconum ad perquirendum s. Lebuini corpus et ecclesiam Daventriensem reparandam* et *post haec Liutgerum et cum eo alios servos Dei ut destruerent fana idolorum et varias culturas idolorum in gente Fresonum.* Ex quibus locis recte licet concludere, Albricum episcopi munera obiisse; eundem vero tunc temporis legitimum episcopum nondum fuisse evincitur his vitae verbis: *Albricus autem, cum in colonia civitate gradum accepisset episcopalem, fecit et Liutgerum secum presbyterii percipere gradum et constituit eum doctorem Ecclesiae in pago Ostrachae in loco, ubi s. Bonifacius est coronatus martyrio.*

Episcoporum sacerdotumque genera.

Invenimus igitur in iis quae adtulimus quattuor sacerdotum genera: Episcopos veros, qui munera non solum omnia episcopi obibant, sed etiam *gradum acceperant episcopalem*, quales erant s. Bonifatius et postquam *gradum accepit episcopalem* Albricus; episcopos qui *gradum acceperant episcopalem*, verum ita, ut non proprio nomine ecclesiam aliquam administrarent, sed adiutores essent alius cuiusdam *ecclesiae rectoris*, qualis erat Alubertus; presbyteros, qui quamvis perseverarent *in gradu presbyterii*, nonnullis tamen fungebantur muneribus episcopalibus, inprimis iis, quae theologi iurisdictionis nomine comprehendunt, quique eam ob causam aliqua ex parte episcopi vocabantur, qualis erat s. Gregorius et antequam ad *gradum episcopalem* pervenit s. Albricus;

---

[1]) Cf. *Regesten der Urkunden der ersten Karolinger* (*751—840*) *von Th. Sickel, Wien 1867*, p. 16. n. 2, ubi, licet diploma illud inter genuina enumeretur, vox episcopi tamen uncis includitur, et *Kirchengeschichte Deutschlands v. Dr. Fr. Wilh. Rettberg. Göttingen 1848.* I. p. 533.

[2]) Cf. c. 14 in *Mon. Germ.* l. c.

presbyteros, qui constituuntur doctores ecclesiae in pagis minoribus, qualis constitutus fuisse legitur a s. Albrico Liutgerus.

Theatbertus chorepiscopus non fuit,

Quae cum ita sint, nescio an de chorepiscopis cogitare aliquis possit, praesertim cum in ipsius s. Gregorii vitae c. 14 chorepiscopi nomen inveniatur: *Eademque caritate, sicut et fidei firmitate, qua praedecessores sui....* (s. Gregorius) *larga et melliflua eruditione populum irradiavit simul cum chorepiscopo et adjutore suo Aluberto.* Atque profecto initio saeculi IX. in Francorum imperio exstitisse chorepiscopos nulla interposita dubitatione quisque concedet. Attamen Theatbertum, codicis subscriptorem, chorepiscopum fuisse negaverim. Nam qui eo tempore vocabantur chorepiscopi, neque confundendi sunt cum iis, qui saec. V. ecclesias minores easque rusticas chorepiscoporum nomine insigniti regebant, neque cum iis, qui saeculo VIII. per terras vagabantur; sed erant episcopi aut alteri episcopo subditi atque ordine sacro initiati, ut episcopum in exercendis episcopatus muneribus adiuvarent, aut episcopali gradu praediti idcirco, ut pro iis qui episcopi veri non erant[1]) episcopalia officia obirent. Unde iam elucet, hanc chorepiscopi notionem, ut quadret in Alubertum[2]), tamen neque in Liutgerum quem *Albricus doctorem ecclesiae constituit in pago Ostrache* neque in Theatbertum, *episcopum dedorostat* quadrare, cum Dorostadii unquam conlocatam fuisse sedem episcopalem prorsus improbabile sit.

sed rector ecclesiae Dorostadiensis.

Quid vero si is, de quo agimus, Theatbertus, etiamsi episcopus non fuit, episcopi tamen nomine libro subscripsit? Mihi quidem, ut id statuamus, res ipsa quam maxime videtur flagitare. Nam cum constet, institutos fuisse tunc

---

[1]) Cf. Rettberg, l. c. pag. 607 sqq.

[2]) Ceterum quamvis quod ad rem adtinet, chorepiscopi nomen conveniat Aluberto, exiguam tamen habet probabilitatem sententia, qua eum nomine illo insignitum fuisse contenditur; immo recte Bollandista ad vocem *Chorepiscopo* notam adiecit: *Chorepiscopum hic auctor nominat ex usu sui saeculi.* Cf. Bolland. *Acta SS. tom. mensis Junii* I. p. 486. Altfridus Alubertum non chorepiscopum vocat, sed *coepiscopum*; cf. l. supra plene exscriptum.

temporis atque iis, in quibus versamur locis doctores vel rectores ecclesiae neque sedem episcopalem Dorostadii conlocatam fuisse sciamus, nihil reliquum esse videtur, nisi ut subscriptionem illam aut spuriam aut alio modo explicandam esse statuamus. Facillima autem ea erit explicatio, qua episcopum illum *de Dorostat* rectorem ecclesiae Dorostadiensis intellegamus. Quam si acceperimus, neque cogemur, ut Dorostadii sedem conlocatam fuisse credamus episcopalem, neque ulla necessitate ad *laterculum episcoporum Traiectinorum* reiciemur, cum id generis doctores vel rectores ecclesiae passim adnumerari episcopis et iam supra demonstratum sit s. Gregorii abbatis exemplo et luculentissime adpareat in Albrico, qui non paucis annis antequam s. Gregorio in regenda ecclesia Ultraiectina succederet (anno 775?), diploma, quo monasterio Laurisheimensi villa in Hagenheim tradita est, subscripsit: *Ego Albricus episcopus ss.*[1]). Unde elucet Albricum quoque iam tunc temporis regionis alicuius eiusque ecclesiae rectorem constitutum episcopi nomen sibi arrogasse. Idem in Theatbertum quoque quadrare ut probemus, id unum ut demonstremus nobis restabit, fuisse Dorostadii ecclesiam, cuius cura sacerdoti mandaretur.

De ecclesia Dorostadiensi.

Etiamsi concedimus, commenticiam esse quae fertur s. Suithberti vitam, ita ut negemus docuisse eum per biennium Dorostadii, id tamen non inepte inde concluditur, fuisse Dorostadium inter ea loca, in quibus Christianae doctrinae vestigia iam antiquissimis adparent temporibus. Sed hoc misso adferamus potius, quae in vitae s. Bonifatii c. 71 legimus: (S. Bonifatius) *prospero ventorum flatu, pervenit ad Dorstet, ibique aliquamdiu commoratus... Sed quoniam gravi ingruente paganorum impetu, hostilis orta dissensio inter karlum... et Raedbodum regem Fresonum populos ex utraque parte perturbabat maximaque iam pars ecclesiarum Christi, , quae Francorum prius in Fresia subiectae erant imperio, vastata erat et destructa, ...tum vir Dei... pervenit at Trehct*[2]). — Attamen

---

[1]) Anno 764; cf. Pertz XXI. *Chronicon Laureshamense*, p. 342.

[2]) Cf. Pertz. *Mon. Germ.* SS. T. II. p. 338 et 339.

iterum Christianae dicionis factum esse Dorostadium, postquam Carolo Pipinus successit rex, ex vitae s. Gregorii c. 10 comperire licet; s. Gregorius enim s. Bonifatii iussu Dorostadii munera narratur obiisse, quae ad ecclesiae curam pertinerent: *Ad haec autem universa non modice adjutus est ab electis discipulis suis, post magistrum clarissimis praedicatoribus et columnis Ecclesiae Dei: quorum unusquisque civitatem et regionem suam* (i. e. quae ipsi erat mandata), *sicut Lucifer mane oriens, illuminavit exemplis. Et doctrina sua beatus Gregorius Traiectum, antiquam civitatem, et vicum famosum Dorstad cum illa irradiavit parte Fresoniae, quae tunc temporis Christianitatis nomine censebatur. Idem usque in ripam occidentalem fluminis quod dicitur Lagbeki, ubi confinium erat Christianorum Fresonum ac paganorum, cunctis diebus Pippini regis*[1]).

Erat igitur s. Gregorius, ut ita dicam, sub s. Bonifatio Dorostadiensis ecclesiae rector, quoad anno 755. p. Ch. ipse ecclesiam Ultraiectinam suscepit regendam. Quo facto dubium non est, quin suffecerit in suum locum, qui sub ipso ecclesiae Dorastadiensi eadem condicione praeesset, qua ipse illi praefuerat superstite s. Bonifatio. Nam neque sub ipso s. Gregorio neque sub eius successore b. Albrico (775—784) religio Christiana in Frisia decrevisse videtur, cum novae deducerentur coloniae Christianae atque Ostrachae in ipso loco, *ubi s. Bonifatius est coronatus martyrio*, Liutgerus constitueretur *doctor Ecclesiae.* Immo habemus certissimum testimonium, unde Albrico ecclesiam Ultraiectinam gubernante Dorostadii ecclesiam fuisse sciamus, diploma anni 777 quo *Karolus basilicae S. Martini in Traiecto vetere subter Dorestado constructae, cui Albricus rector electus praeest, villam suam Lisidunam.... itemque ecclesiam Ubkirikam supra Dorestat constructam donat*[2]). Cum igitur et floruerit s. Gregorii eiusque successoris tempore ecclesia Dorostadiensis neque *doctor* alius, qui tum hanc ecclesiam

---

[1]) Cf. l. c. p. 759.
[2]) Cf. Sickel. l. c. p. 34 n. 62.

gubernaverit, commemoretur, nihil obstabit, quominus huic tempori Theatbertum Liviani codicis subcriptorem adscribamus, praesertim cum alia in hanc sententiam faciant argumenta.

Thiatbraht presbyter idem qui Theatbertus episcopus. Atque verba *theatberti epi dedorostat* scripta esse litteris saeculi VIII inter omnes constat; s. Gregorium autem primum Dorostadii *doctoris ecclesiae* functum esse munere ex verbis adlatis cum magna probabilitate conligitur. Unde patet, Theatbertum post s. Gregorium demum ecclesiam Dorostadiensem administrasse. Deinde apud Altfridum in vita s. Liutgeri[1]) commemoratur presbyter quidam, cui *Thiatbraht* (vel secundum alteram vitam *Thiadbertus*) nomen erat; qui et aequalis b. Albrici neque simplex presbyter erat, sed constitutus una cum s. Liutgero et Adalgero presbytero a b. Albrico *praepositus* monasterii Traiectini in quartam anni partem. Ex eo, quod a b. Albrico praepositus est Thiatbraht iste monasterio, praecipuam eius sequitur fuisse dignitatem ceterorumque presbyterorum praestantiorem; quem cum exercuisse monasterii regimen nisi hieme non legamus, nonne ex eo recte licet ratiocinari, ut s. Liutgerum Ostrachae, ita Thiadbertum alio quodam loco constitutum fuisse *ecclesiae doctorem* per reliquum anni tempus? Cum vero Dorostadii fuisse ecclesiam sciamus neque alius s. Gregorii in eadem ecclesia gubernanda commemoretur successor cumque invenerimus Thiadbertum presbyterum tempore s. Albrici auctoritate non mediocri pollentem, cur hunc eundum esse atque codicis Liviani subscriptorem negemus? — Quodsi hunc *Thiatbracht pres-*

---

[1]) Cf. Altfridum in vitae s. Liutgeri c. 15: *Albricus autem cum in Colonia civitate gradum accepisset episcopalem, fecit et Liutgerum secum presbyterii percipere gradum et constituit eum doctorem ecclesiae in pago Ostrachae in loco, ubi s. Bonifacius est coronatus martyrio. Divisitque idem Albricus annum in distributiones quattuor, ita ut in Traiecto monasterio prae ceteris praepositis ipse in tempore vernali in doctrinae studio et sanctae conversationis praeesset fratribus menses tres. Deinde post eum in aestate Adalger presbyter in vice sua menses tres. Deinde post hunc Liutgerus presbyter menses tres; deinde in hieme Thiatbracht presbyter menses tres.*

byterum et *theatbertum epum dedorostat* codicis subscriptorem eundem esse censemus, aliquantum lucis nanciscimur ad investigandum, et unde codex adlatus et ubi adservatus et qua data occasione translatus sit in monasterium Laurisheimense.

Fuit Thiatbracht iste s. Liutgeri et aequalis et sine dubio, cum uterque per quartam anni partem esset eidem monasterio praepositus, quam maxime amicus; itaque fuisse codicem Livianum crediderim inter libros, quos Alcuinus *magister Eboraicae civitatis Anglorum* s. Liutgero, qui eius discipulus per tres annos et sex menses fuerat[1]), in Frisiam asportandos dederat[2]) atque donatum a Liutgero Theatberto collegae, qui librum suum esse nominis subscriptione adfirmavit. Neque tamen inde concluserim, translatum esse codicem Dorostadium, sed remansisse Traiecti, ubi *doctrinae studio* certo anni tempore Theatbertus quoque vacabat. In monasterium Laurisheimense venisse videtur codex, quo tempore Albricus Traiecti erat episcopus, qui cum inter subscriptores adpareat diplomatis, quo monasterio Laurisheimensi villa Hagenheim traditur, favore quodam illud videtur esse prosecutus; itaque eo auctore codicem in monasterii venisse possessionem non improbabile est. Albricus igitur, si coniecturam facere licet, cum monasterium Laurisheimense anno 764 fundatum in dies magis florere inciperet, ex thesauro librorum, qui Traiecti adservabantur, nonnullos novo monasterio, quo suum erga illud gratum animum significaret, vel ipse tradidit, vel alios, qui libros possidebant, ut unum alterumve monasterio donarent, permovit. Quod si verum est, codex non post annum 784, quo mortuus est Albricus[3]), in monasterium Laurisheimense est transportatus. Quam sententiam si minus probaverimus, placebit fortasse altera. Scimus enim s. Gregorium antequam

Codex asportatur ex Anglia.

donatur a Theatberto monasterio Laurisheimensi.

[1]) Cf. eiusdem vitae c. 11.

[2]) Cf. l. c. c. 12: *Directus itaque Liutgerus prospero cursu pervenit ad patriam suam habens secum copiam librorum.*

[3]) Cf. *Annales Laureshamenses* in Pertzii *Mon. Germ.* SS. I p. 32. n. XVII.

moreretur, cum libros discipulis suis distribueret, in his Liutgero donasse librum s. Augustini, Enchiridion adpellatum[1]). Cuius ad exemplum nonne maiorem habet probabilitatem, codicem Livianum a Theatberto ipso ante mortem traditum esse monasterio? Cui sententiae si adstipulamur, librum illum aliquot annis post donatum esse monasterio verisimile est. Nam, quod iam Jaffeus divinatus est, pro nomine episcopi Traiectini Theodardi, qui ab a. fere 785 ad 791 ecclesiam Ultraiectinam administrasse dicitur, restituendum esse ex codicis subscriptione *Theatbertum*, equidem perquam probaverim. Constat enim *nomen huius Pontificis varie scribi Theodardum, Thiedardum, vulgo Frisice Thiard*[2]). Nonne expuncta per errorem b litterula ex Thiadberto, quod nomen in s. Liutgeri vitae alterius c. 27 *Thiadbardus* scribitur, facillime enasci potuit Thiadardus?

Theatbertus idem qui Theodardus, b. Albrici successor.

At interrogabit aliquis quaenam adferri possit huius mutationis causa? En, quibus ut ita statuam permoveor, non unam, sed plures. Apud *Bataviae Sacrae* auctorem l. c. legimus: *Erat* (Theodardus) *enim natione Friso, Fresonicae gentis praedicator inclytus, in Scriptura Sacra eruditissimus doctor. Plaudentibus cunctis episcopalem cathedram conscendit.* Nomen *Theatberti* sine dubio Frisicum esse supra demonstravimus. *Fresonicae gentis praedicatorem inclytum* Theatbertum fuisse, iam inde sequitur, quod doctor constitutus erat ecclesiae Dorostadiensis; *in Scriptura Sacra eruditissimum doctorem* eum fuisse non immerito statuemus, si Theatbertus, codicis subscriptor, idem fuit atque ille Thiatbracht, quem Traiecti in monasterio *hieme praefuisse fratribus in doctrinae studio et sanctae conversationis* supra ex s. Liutgeri vita ostendimus.

---

[1]) Cf. c. 20. l. c. p. 768. *Nam et condiscipulis melioribusque meis in eadem molestia plures tradidit libros; et mihi modico Ludgero librum sancti Augustini tradidit, quem Enchiridion, id est Manuale, ipse nuncupavit.*

[2]) Cf. *Bataviae sacrae* p. 96, cuius auctor et in iis, quae modo adtulimus et in iis, quae infra adferemus, secutus est *Ioannem de Beka, canonic. Ultrajectin. et Wilhelmum Heda, praepos. Arnehemens. de episcopis Ultrajectinis* (recogn. Arn. Buchelius. Ultrajecti 1643).

Quadrat igitur, quidquid de Theodardo, Albrici successore innotuit, etiam in Theatbertum *epum dedorostat.* Neque mediocriter alia re eius sententiae augetur probabilitas, qua eum b. Albrico successisse docuimus. Nam s. Gregorium, antequam ipse ecclesiam Ultraiectinam administrandam suscepit, item *irradiasse famosum vicum Dorstad* iam supra ex s. Gregorii vitae a b. Liutgero conscriptae c. 10 comprobavimus. Si igitur his nisi argumentis Theatbertum codicis Liviani subscriptorem eundem esse dicimus quem Theodardum episcopum illum ficticium, nihil impedit quominus eum ut Albrici succesorem ita quoque grati eius in monasterium Laurisheimense animi heredem fuisse arbitremur, quem demonstraturus codicem ab ipso, cum *episcopus de Dorostat* esset, iam possessum ante mortem donavit monasterio.

Ut igitur totius ratiocinationis capita paucis atque ordine repetamus, haec fere sunt, quae cum aliqua probabilitate de codicis Liviani fatis enucleasse nobis videmur: Ab Alcuino donatum s. Liutgero ex Anglia codicem asportatum ab eo esse in Frisiam, ubi in Theatberti *episcopi de Dorostat* venit possessionem, qui eum vel iam ante annum 784 per b. Albricum, vel etiam ipse, fortasse cum episcopus factus esset Ultraiectinus, ante mortem monasterio Laurisheimensi, quocum episcopi Ultraiectini grati animi vinculo coniuncti fuisse videntur, donaverit.

Quae adhuc disputavimus de codicis migrationibus cum sufficiant, quinam fuerit codicis per ea tempora status, accuratius iam est quaerendum. Et is quidem quot primitus constiterit foliis, quamquam temporis iniquitate complura folia interciderunt, antequam involucro, quod recentioris esse aetatis infra exponetur, circumdatus est, tamen non nescimus; adhuc enim adparent quaternionum numeri, quibus librarius singulorum quaternionum ordinem significari voluit, additi illi ultimae cuiusque quaternionis paginae paulo **Codicis quaterniones.**

infra ipsam scripturam ita ut numerus plerumque in margine dextro scriptus inveniatur, quaternionis signo, littera q, hinc illinc numero praemisso. In folio vero 130v numerum quaternionis XXIIII sine dubio oblitteratum recentior manus, fortasse eadem, quae in prima pagina codicis numerum Ambrosianum adnotaverat, renovavit. Idem fere contigit in fol. 138v, ubi numerus XXVI recentiores litterarum ductus prae se fert, nisi quod littera q praemissa primae manus et formam et atramentum ostendit. Continebantur igitur libri XLI—XLV primitus quaternionibus XXXIII et uno ternione ita dispositis, ut post XXXII quaterniones insereretur ternio, quem quaternio postremus excepit, cuius ultimum folium iam ab initio vacaverat et cuius hodie desunt folia extrema.

Numeri a manu saec. VIII. adscripti.

Quae cum ita sint, iam enascitur quaestio utrum codex eo tempore, quo in Frisiam migravit vel potius quo in Theatberti venit possessionem, integer fuerit necne. Quam quaestionem ut possimus diiudicare, numeris quibusdam efficitur, qui in codice inveniuntur scripti litteris saeculi VIII. eodemque atramento, quo adpicta est subscriptio; unde nihil habere videtur temeritatis sententia, qua ab eadem manu eos numeros adscriptos esse statuamus. Sunt autem numeri **I—XI** quorum numeri **II**, **III**, **IIII**, **V**, **VI**, **VII**, **VIII**, **VIIII**, **X** in foliorum quorundam paginis versis infra scripturam ipsam ita deprehenduntur exarati, ut non quem quaternionum signa marginem dextrum, sed medium marginem occupent; numeri vero **I** et **XI** in foliis 1 et 188 rectis leguntur. Antequam autem iis, quae modo adtulimus, utamur ad codicis historiam inlustrandam, hoc loco exhibemus tabulam, qua intellegi possit et quae folia vel etiam integri quaterniones hodie desint et quibus foliis numeri dupplicis generis adscripti sint.

Quaterniones[1]).

Integri		Deperditi	Mutili	
Numeri foliorum.	Numeri quaternionum		Numeri foliorum	Numeri quaternionum
:	:	[q. I.]	:	:
:	:	[q. II. deperditus post annum 1531].	:	:
[I]1— 8	[q.] III.	:	:	:
:	:	:	9	[q. IIII. / 8]
:	:	:	10	[q. V. / 8]
11— 18	[q.] VI.	:	:	:
19— 26[II]	[q.] VII.	:	:	:
27— 34	[q.] VIII.	:	:	:
35— 42[IIII]	[q.] VIIII.	:	:	:
43— 50	[q.] X.	:	:	:
51— 58[V]	[q.] XI.	:	:	:
59— 66[III]	[q.] XII.	:	:	:
67— 74	[q.] XIII.	:	:	:
75— 82	[q.] XIIII.	:	:	:
:	:	[q. XV.]	:	:
:	:	[q. XVI.]	:	:
:	:	[q. XVII.]	:	:
:	:	[q. XVIII.]	:	:
83— 90[VI]	[q.] XVIIII.	:	:	:
91— 98	[q.] XX.	:	:	:
99—106	[q.] XXI.	:	:	:
107—114	q. XXII.	:	:	:
115—122[VII]	q. XXIII.	:	:	:
123—130	[q.] XXIIII.	:	:	:
:	:	:	131—134	[q. XXV, 2, 3, 6, 7.]
:	:	:	135—138	q. XXVI [1, 2, 7, 8].
:	:	:	139—144	q. XXVII [1—3, 6—8].
:	:	:	145—151[VIII]	[q.] XXVIII [1, 2, 4—8].
152—159	[q.] XXVIIII.	:	:	:
:	:	:	160—165[VIIII]	[q. XXX, 2—7].
166—173	[q.] XXXI.	:	:	:
174—181	q. XXXII.	:	:	:
182—187[X]	q. XXXIII [1—6].	:	:	:
:	:	:	[XI]188—193	[q. XXXIIII, 2—7].

[1]) Numerorum signis quae vocant Arabica significavi folia, quae adhuc exstant in ipso codice iisdem signis notata. Signis Latinis quae vocamus quaternionum notas exscripsi ab ipso librario

Codicis status qui fuerit saec. VIII.

Jam quaeritur, quid sibi velint numeri **I — XI** a manu saeculi octavi additi? Quaterniones octonorum foliorum iis non significari in propatulo est; nam codicem tunc undecim tantum constitisse quaternionibus vix quisquam credet. Alia igitur quaerenda est qua explicentur ratio. Atque ut incipiamus ab iis, qui contra regulam in foliis rectis conspiciuntur, in numero **I** folio quod esse putabatur primum adpicto quemquam haesiturum negaverim; quod autem numerus **XI** contra regulam in folio 188 recto, non vero, ut exspectaveris in postremi folii posteriore pagina, exaratus proxime praecedentis folii (187^{v}) numerum excipit, indicare videtur, cum codicis fasciculi componerentur, decem constitutis non tot superfuisse folia, unde fasciculus ceteris par efficeretur. Nimirum hac quaternionum coniunctione novi compingebantur fasciculi, qui numeris **I — XI** signabantur. Numero vero **XI** maiorem non fuisse adscriptum, inde verisimile fit, quod is numerus praeter num. **I** unus invenitur in pagina quam vocant versa atque ita significat, non tot secuta esse folia, quot alibi singulis numerorum signis in singula, ut ita dicam, foliorum corpora comprehendebantur. Cum igitur fasciculos inter se pares significari iis numeris pateat, codex illo tempore non amplius integer fuit. Nam si trium quaternionum fasciculos singulis comprehendi numeris ponimus, quia undecim tantum habemus numeros, decem fasciculos vel triginta quaterniones nanciscimur et aliquot folia, quae numero **XI** notabantur; si codex autem fuisset integer, ex XXXIV eius quaternionibus constitui potuerunt undecim fasciculi et aliquot folia, quibus bibliopegus noster numerum **XII** praefigere debebat. Praeterea statum codicis iam tum fuisse turbatum facile intellegitur inspecto et ordine quo se excipiunt numeri et loco, quem numerus **VIIII** occupat. Nam cum numerus **III** inveniatur in ultima pagina quaternionis XII et ita hodie numerum **V** quaternioni

---

profectas; pinguioribus vero signis (**I II III IIII** . . . .), quae foliorum numeris adscripsi (e. g. 58^{v}) eos significavi numeros, quos ortos ab auctore subscriptionis suspicatus sum. Quae uncis inclusi in codice non habentur scripta.

undecimo adscriptum sequatur, recte conligitur, quaternionem duodecimum (= fol. 59—66) non suo loco[1]), sed certe ante quaternionem VIIII (= fol. 35—42) fuisse insertum; itaque perversus erat atque confusus quaternionum ordo, id quod facillime poterat accidere, si codex compactus vel non vel male erat. Confirmat eam sententiam num. **VIIII**, quippe qui ex omnibus iis numeris, qui foliis quibusdam versis adpicti sunt (**II**—**X**), unus non in ultimo quaternionis folio, sed in septimo (= fol. 165ᵛ) inveniatur. Unde sequitur, eum quaternionem iam tunc, ut hodie, duobus foliis extremis (i. e. primo et ultimo) fuisse privatum, vel certe ordinem singulorum foliorum eius quaternionis fuisse perversum, ita ut folium septimum ultimum esse putaretur.

Constabat triginta quaternionibus in decem fasciculos distributis.

Itaque mihi quidem dubium non esse videtur, quin ex codice iam saeculo octavo quaedam interciderint. Neque tamen verisimile est, omnia iam defuisse, quae anno 1531 p. Ch. deerant; exstabant enim eo anno XX quaterniones integri. Ne autem numeris istis (**I**—**X**) putemus hos tantum quaterniones anno 1531 integros fuisse signatos, ita ut bini uno comprehenderentur numero, vetant numeri **VIII** et **VIIII**, utpote qui in quaternionibus legantur anno illo iam mutilis. Quae res poscere videtur, ut, id quod facile esse potuit, plures quaterniones hodie mutilos saeculo octavo integros fuisse statuamus. Quodsi ita est, iterum devenimus ad eam sententiam, qua triginta quaterniones tunc exstitisse atque in decem distributos esse fasciculos, quorum quisque trinos quaterniones comprehenderet, contendimus. Confirmatur haec sententia eo, quod numeros trium quaternionum intervallo separari ter observamus. Ita numerum **VIIII** tribus interpositis quaternionibus excipit

---

[1]) Quaternionem XII olim a proximo XIII fuisse separatum, inde etiam comprobatur, quod maculae illae, quae aquae vestigia (Wasserflecken) prae se ferunt, per folia 19—66 inveniuntur in margine superiore, in foliis 67 et proximis in margine inferiore dextro. Itaque eo tempore, quo labem traxit codex, folia 66 et 67 vel q. XII et XIII sese non exceperunt, cum q. XII nondum solutus esset ba iis qui proxime praecedebant quaternionibus.

num. **X**; item, si tollas quaternionem XII, quem alio loco insertum fuisse num. **III** adscriptus ostendit, numerum **IV** eodem intervallo servato sequitur **VI**. Eodem modo, si removeris quaternionem XXI, quem posteriore tempore a quaternionibus vicinis fuisse separatum atque alio loco insertum infra adparebit, numeri **VI** et **VII** pari intervallo inter se distabunt. Quibus perpensis quo clarius adpareat, quinam saeculo octavo codicis fuerit status, hanc proponam usus numeris istis ducibus de ordine quaternionum coniecturam:

Numeri a manu saeculi octavi adscripti	Quaterniones[1]) singulis numeris comprehensi				
I.	III	+	[II]	+	IIII*
II.	V*	+	VI	+	VII
III.	[XV	+	XVI]	+	XII
IV.	VIII	+	[XVIII]	+	VIIII
V.	XXI	+	X	+	XI
VI.	XIII	+	XIIII	+	XVIIII
VII.	XX	+	XXII	+	XXIII
VIII.	XXIIII	+	XXVII*	+	XXVIII*
VIIII.	XXV XXVI 2 3 1 2 7 8 6 7 131 132 135 136 137 138 133 134	+	XXVIIII	+	XXX*
X.	XXXI	+	XXXII	+	XXXIII
XI.	XXXIIII*				

[1]) Quaterniones uncis inclusi hodie desunt; stellulis significantur quaterniones hodie mutili.

Ut vero codex in eum quem numeros istos secuti statuimus ordinem redigeretur, hoc modo factum esse videtur. Codicis quaterniones deperditi. Codex involucro circumdatus erat tam infirmo, ut, cum saepius in alias transportaretur regiones, laxata compage partes quaedam omnino interciderent, quaedam vero e legitimis sedibus moverentur. Atque defuisse iam tunc temporis quaternionem I, ex numero I quaternionis tertii fronti adscripto sequitur; nempe eum quaternionem, a quo l. XLI initium capiebat, cuius tres priores versus minio exaratos fuisse ex reliquorum librorum XLII—XLV initiis concludere licet, si adfuisset, primo ponendum esse loco quilibet homo vel stupidissimus intellexisset. Porro ex magna, quae inter quaterniones XIIII—XVIIII nunc hiat lacuna, iam tum unum quaternionem e. g. XVII [1]) exulasse magnam habet probabilitatem; idem dicendum videtur de quaternionibus XXV et XXVI dimidiis. Nam cum is, quem posteriore tempore partibus quibusdam codicis compage solutis sedes adsignasse demonstrabimus, folia quaternionis XXVI extrema (= fol. 135 et 138) ali quaternioni inserta deprehenderit cumque hodie quaternionis XXV quattuor tantum folia habeamus, utriusque quaternionis XXV et XXVI deperdita parte dimidia quae supererant folia in unum quaternionem coaluisse incuria hominum mihi videntur. Inter laxatos vero quaterniones numerandos esse quaterniones II, XXV ac XXVI dimidios ex iis patet, quae Quaterniones a compage soluti. et de numero I quaternioni III adpicto et de quaternionum XXV et XXVI fatis diximus. Deinde etiam tres istos quos ex magna lacuna inter quaterniones XIIII et XVIIII hiante tum nondum periisse statuimus quaterniones XV XVI XVIII huc referre licebit. Accedunt denique quaterniones XII et XXI, quorum priorem loco suo fuisse deturbatum ex numero III adscripto iam supra conclusimus, de posteriore infra probabimus. Itaque separatis his quaternionibus eo tempore vel iam deperditis vel vagis reliqui cum involucro

---


[1]) Pro certo enim quinam deperditus fuerit quique reliqui ex lacuna illa quaterniones dici nequire nemo non videt.

cohaesisse videntur, id quod planius ex tabula hac adparebit, in qua lacunas punctis significavimus:

Quaterniones cum involucro cohaerentes	. . ^{I}III IIII V VI VII^{II} VIII VIIII^{IIII} X XI^{V} . XIII XIIII . . . . XVIIII^{VI} XX . XXII XXIII^{VII} XXIIII . . XXVII XXVIII^{VIII} XXVIIII XXX^{VIIII} XXXI XXXII XXXIII^{X} ^{XI}XXXIIII
vagi	XXV (2 3 6 7) XXVI (1 2 7 8) II XII^{III} XV XVI XVIII XXI . 131 132 . . 133 134 . 135 136 . . . . 137 138
deperditi	I XVII $\frac{XXV}{2}\left(1, 4-5, 8\right)$ $\frac{XXVI}{2}\left(3-6\right)$

Ratio inserendi quaterniones vagos. Separatis hoc modo quaternionibus cum involucro cohaerentibus a vagis numeros adscriptos interposito trium quaternionum intervallo se excipere iam non ter, sed quater observamus (**V—VI—VII—VIII**, **VIIII—X**). Qua re cum sententia, qua trium quaternionum fasciculos numeris istis significari contendimus, quam maxime evadat probabilis, nihil restare videtur, quam ut quaterniones vagos, ubicumque inter numeros adpictos minus tres quaterniones conlocati adparent, inseramus. Atque profecto confirmat hanc coniecturam, qua ductus inter quaterniones VII et VIIII magnam lacunam explendam esse is qui numeros adscripsit putaverit, numerus **III** adpictus quaternioni XII vago, quem proinde inter quaterniones VII et VIIII insertum ab eo esse patet. Aliud quoque eius coniecturae testimonium eo continetur, quod is, quem foliorum cohaerentiam legitimam restituisse infra exponetur, quaterniones VII et VIII aliquando sese non excepisse indicavit; nam coniungendos esse inter se quaterniones istos suo modo significavit, id quod alias bis tantum fecit, ubi etiam quaternionum ordinem turbatum fuisse in propatulo est. Inseratur igitur, ut ordinem a numerorum scriptore institutum nanciscamur,

oportebit quaternio unus inter numeros **I** et **II** (q. II), item inter **IIII** et **V** (q. XXI) atque inter **VIII** et **VIIII**



Denique conlocato quaternione XII ante quaternionem VIII pari modo cogemur, ut et ante quaternionem XII duos vagos (q. XV + q. XVI) et post quaternionem VIII eum qui reliquis insertis superest vagus (q. XVIII) inseramus [1]). Eum ordinem quem neque orationis connexu ductus neque quaternionum signis respectis constituerat qui codicem tractavit confirmaturus, postremis tertii cuiusque quaternionis foliis versis numeros continuos adscripsit exceptis **I** et **XI**, de quorum sedibus iam supra uberius egimus.

Licet nesciamus, quamdiu is quaternionum ordo immutatus permanserit, id certum esse videtur duobus vel tribus saeculis post foliorum neque numerum neque ordinem prorsus eundem exstitisse. Ut ita statuamus, perducti sumus litteris quibusdam observatis in variis codicis foliis, quae posteriore aetate codicem multo magis fuisse disturbatum singulasque partes etiam pravius inter se coniunctas testantur. Inveniuntur eae litterae A-Q diversae admodum **Litterae A-Q in margine foliorum exaratae.**

---

[1]) Singulis quaternionibus vagis sedes adeo fixas, ut omnis dubitatio eximatur, adtribui nequire vix est quod memoremus. Excipiendus tamen videtur q. XII, quem ante q. VIII conlocare iubemur signis eius qui libri ordinem restituere posteriore aetate conatus est. Qui cum suo tempore inter quaterniones VII et VIII alium, quem ipse inde removit, intrusum fuisse testetur, nos prohibet ne hunc fuisse ordinem arbitremur:

.... VII
[XV] + VIII + XII
[XVI + XVIII] + VIIII. Nam cum eo tempore cui ordo restitutus debetur, procul dubio quaterniones XV XVI XVIII iam periissent, nulla adfuisset causa coniungendorum adscriptis signis quaternionum VII et VIII.

magnitudinis infra scripturam in margine vel dextro vel sinistro, prout in codicis alicuius pagina vel versa vel recta scriptae sunt. Sunt litterae quas vocant maiores, quae, si quid ex forma litterarum G, E, N (G, E, N) concludere licet, videntur esse saeculi VIII—XI. Quarum litterarum ordo hic est:

fol.	9^r	K
fol.	10^v	L
fol.	14^v	A
fol.	15^r	D
fol.	94^v	E
fol.	95^r	H
fol.	99^r	F
fol.	106^v	G
fol.	135^v	I
fol.	138^r	M
fol.	152^r	B
fol.	159^v	C
fol.	169^v	N
fol.	170^r	Q
fol.	174^r	O
fol.	181^v	P

Litterarum adscriptarum ratio.

Conlatis his et litteris et foliorum quibus adscriptae sunt numeris cum tabula quam supra composuimus quaternionum, ilico quid sibi velint litterae adscriptae, intellegetur. Significantur enim his binis litteris K—L, F—G, B—C, O—P partes codicis inter se cohaerentes, a reliquis separatae (fol. 9—10, 99—106, 152—159, 174—181), quibus aliquis homo certe litterarum expers certum quemdam in codice locum eo adsignare conatus est, ut mediis quaternionum foliis litteris I et M, E et H [1]), A et D, N et Q insignitis eas circumdaret; qua re non tam pristinum ordinem restitutum esse quam quaterniones foliaque e sede

[1]) E et H litteris non quae revera, sed quae tunc temporis erant eius quaternionis (XXVI) folia media esse signata, ex iis, quae infra de foliis 136 et 137 dicetur, patebit.

mota numerari quodammodo et cohiberi nemo est quin videat. Excipiunt vero sese quaterniones et folia secundum hunc ordinem ita, ut tabula hac inlustratur:

fol. 14^{v} A
fol. 152^{r} B
:
:
:
fol. 159^{v} C
fol. 15^{r} D
fol. 94^{v} E
fol. 99^{r} F
:
:
:
fol. 106^{v} G
fol. 95^{r} H
fol. 135^{v} I
fol. 9^{r} K
fol. 10^{v} L
fol. 138^{r} M
fol. 169^{v} N
fol. 174^{r} O
:
:
:
fol. 181^{v} P
fol. 170^{r} Q

Unde totius codicis forma eo tempore, quo partes vagae litteris adpictis conlocatae firmis locis erant, haec fuisse putanda est:

		VI						
			XXVIIII					
III	[II]	1—4	1—8	5—8	VII	XII	VIII	VIIII
Fol. 1—8		11—14	152—159	15—18	19—26	59—66	27—34	35—42

					XX		
						XXI	
X	XI	XIII	XIIII	XVIIII	1—4	1—8	5—8
43—50	51—58	67—74	75—82	83—90	91—94	99—106	95—98

						XXVII				
						XXVI				
XXII	XXIII	XXIIII	1	2	3	2	7	6	7	8
107—114	115—122	123—130	139	140	141	136	137	142	143	144

				XXV					
				XXVI					
				IIII	V				
XXVIII									XXX
1—2, 4—8	2	3	1	K	L	8	6	7	2 — 7
145—151	131	132	135	9	10	138	133	134	160—165

	XXXI			
	XXXII			
			XXXIII	XXXIIII
1 — 4	1 — 8	5 — 8	1 — 6	2 — 7
166—169	174—181	170—173	182—187	188—193

Tabulae explicatio.

Ad quam tabulam explicandam haec mihi videntur addenda: Ex sedibus, quae quaternionibus XXI XXVIIII XXXII litteris istis adsignantur, eum qui litteras adscripsit nec orationis cohaerentiam nec quaternionum notas curasse perspicuum est. Ob quam sive neglegentiam dixeris sive rei litterariae ignorantiam reliquorum foliorum ordinem non videtur immutasse; nam si quid praeterea mutasset, dubium non est quin suo modo id fuerit indicaturus. Itaque in conficienda quae statum codicis huic tempori convenientem exhiberet tabula, si excipias mutationes litteris adpictis significatas, in universum secuti sumus quaternionum ordinem saeculo VIII. perverse institutum. Ceterum codicis compagem hoc tempore firmiorem non fuisse, immo magis etiam laxatam, ex eo sequitur, quod non solum quaternio XXI, quem iam superiore tempore e sede deturbatum fuisse probabile duximus, e loco perverse

illi adsignato, sed etiam alii quaterniones interim a totius codicis coniunctione soluti fuerunt. Porro ea tantum sententia explicatur necessarium fuisse significare et partes vagas et sedes ipsis adtribuendas adscriptis quae inter se responderent litteris, utique quia adesse videbatur periculum, ne iterum sedibus ipsis adsignatis eicerentur. Ex quaternionibus vero IIII et V iam tunc temporis praeter duo folia (9 et 10) nihil supererat. Num reliquae codicis partes quae hodie desunt iam tum defuerint, pro certo dici nequit; verisimile tamen existimaverim, fere eundem eo tempore foliorum fuisse numerum, quia nisi ita esset iure merito miraremur nullum ex iis quae hodie desunt littera fuisse insignitum; nam seriem litterarum (A—Q) continuam nulla hiare lacuna supra vidimus. Deinde cum quaterniones XXI XXVIIII XXXII mediis quaternionum quorundum foliis insertos esse litterae significent, idem de foliis 9 et 10 contendere licebit; unde nobis persuasimus, folia 135 et 138 (= q. XXVI, 1 et 8) ali quaternioni iam fuisse inserta, cum codicis partes vagae litteris adpictis firmarentur; quid vero facilius quam cogitare de quaternione XXV, cuius hodie quattuor tantum folia habentur? Atque id ipsum in causa erat, quod iam saeculi octavi tabulae quaterniones XXV et XXVI in unum conflatos inseruimus. Quod si ita se habere inter nos convenit, temporis decursu ex quaternione ita constituto intercidisse necesse est censeamus folia media 136 et 137, in quorum locum intrusa esse folia 9 et 10 litterae K et L testantur. Folia 136 et 137 autem procul dubio iam antequam litterae vagis adscriptae sunt foliis, inserta esse videntur medio quaternioni XXVII, cuius hodie, id quod optime huc facit, duo folia media desunt et cuius folia 3 et 6 (= 141 et 142) eiusdem fere et latitudinis et longitudinis sunt atque folia 136 et 137.

Hunc vero quaternionum et foliorum ordinem per aliquod tempus exstitisse immutatum facile potest probari. Etenim natura marginis cogimur, ut quaternionem XXXII (= fol. 174—181) olim loco suo motum fuisse credamus.

Nimirum quaternionis XXXII margine integro neque umquam cultello tacto et quaternio proxime praecedens et quaternio proxime insequens ita circumcisi sunt, ut dempto quaternione XXXII margines foliorum 173 et 182, quae in illo novo ordine sese excipiebant, prorsus pares inter se inveniantur. Praeterea folia 136 et 137, quae loco suo deturbata fuisse diximus, hodie situ tam deformia sunt, ut sibi iniquius factum esse clara voce conqueri videantur. Accedit ea neque in latitudinem neque in longitudinem quadrare cum eis quae hodie vicina sunt foliis 135 et 138. Neque illud neglegendum, foliorum 136 et 137 tantum, foliorum 135 et 138 non item eos angulos quos margines exterior et inferior efficiunt esse resectos.

Vocabulorum syllabarumve repetitiones

Quae in superioribus exposuimus de codicis quaternionibus foliisque bis in ordinem, verum perversum redactis confirmantur egregie indiciis non obscuris, unde posteriore aetate, fortasse compluribus saeculis post, ab homine in re litteraria magis versato, qui quidem statum codicis perturbatum esse perspexerat, nonnullorum quaternionum plurimorumque foliorum male inter se cohaerentium ordinem pristinum eo restitutum atque indicatum esse videmus, ut foliorum cohaerentiam totis vocabulis vocabulorumve partibus vel in folio verso infra lineam vel et in folio verso infra lineam et proximo recto supra lineam repetitis significaret velut

fol. 173ᵛ lin. 29 ... FINITIMAAR
arctis faucibus

fol. 174ʳ lin. 1
arctis fauci TISFAUCIBUSDIRIMENS

fol. 174ᵛ lin. 29. .... HABUITIPSEUBI
ubi dies

fol. 175ʳ l. 7
ubi dies DIESUENIT....

fol. 175ᵛ l. 29 ... NEQUECONUBIUMNE
neq.

fol. 176 l. 1
neq: Q.COMMERCIUM...

Inveniuntur autem haec cohaerentiae indicia in his foliis:

1^r 1^v—2^r 2^v—3^r 3^v—4^r	= q . III	1^r 1^v—2^r 2^v—3^r 3^v—4^r
19^v 20^v—21^r 21^v 22^r 26^v—27^r	= q . VII	1^v 2^v—3^r 3^v 4^v 8^v—q . VIII, 1^r
27^v 28^v—29^r 29^v—30^r 30^v	= q . VIII	1^v 2^v—3^r 3^v—4^r 4^v
35^v 36^v 37^v—38^r 38^v—39^r 41^v	= q . VIIII	1^v 2^v 3^v—4^r 4^v—5^r 7^v
51^v—52^r 52^v—53^r 53^v—54^r	= q . XI	1^v—2^r 2^v—3^r 3^v—4^r
124^v—125^r 128^v—129^r	= q . XXIIII	2^v—3^r 6^v—7^r
139^v—140^r 140^v	= q . XXVII	1^v—2^r 2^v
166^v—167^r 167^v—168^r 168^v—169^r 169^v—170^r 173^v—174^r	= q . XXXI	1^v—2^r 2^v—3^r 3^v—4^r 4^v—5^r 8^v—q . XXXII, 1^r
174^v—175^r 175^v—176^r 176^v—177^r	= q . XXXII	1^v—2^r 2^v—3^r 3^v—4^r
182^v—183^r 183^v—184^r	= q . XXXIII	1^v—2^r 2^v—3^r

Jam quae inde conligi posse videantur breviter exponemus.

significant cohaerentiam aut foliorum

Cuilibet tabulam hanc consideranti primo iam adspectu dubium esse nequit, quin summum studium qui vocabula vocabulorumve syllabas adscripsit in eo conlocarit, ut foliorum praecipue connexum genuinum restitueret[1]). Quod ut efficeret, satis habuit priorum quattuor cuiusque quaternionis foliorum (vel trium ternionis) significare ordinem, cum bene dispositis foliis prioribus posteriora quoque se recte excipere necesse esset; quare plerumque (i. e. quaternionum III XI XXXII XXXIII) foliis tantum versis 1, 2, 3, rectis 2, 3, 4 syllabas istas confines adscripsit[2]). Ex eo quod foliorum 41 et 42 (= q. VIIII, 7 et 8) cohaerentiam significavit, folia eius quaternionis extrema non cohaesisse inter se concludamus oportet. Ubicumque vero etiam media quaternionis alicuius folia exscriptis syllabis connexa invenimus, inde remotum esse quaternionem inepte antea ibi constitutum infra probare conabimur. De quaternionibus quoque XXIIII et XXVII singillatim agetur.


aut quaternionum.

Verum non foliorum tantum, sed tribus locis etiam quaternionum ordinem legitimum restitutum esse ex tabula illa cognoscimus. Significando autem quaternionum II et III, VII et VIII, XXXI et XXXII genuinam cohaerentiam turbatum fuisse, antequam ipse codicem tractare inciperet, iis ipsis locis quaternionum ordinem testatus est. Quare cum ex numeris a manu saeculi octavi adscriptis quaternionem III primo loco, quaternionem XII post quaternionem

---

[1]) Conlata hac tabula cum ea, qua statum codicis Dorostadiensem inlustravimus, hoc loco in disiectorum numero quaterniones invenimus eosdem (III VII VIII VIIII XI), inter quos saeculo octavo plurimos quaterniones vagos (II XV XVI XVIII XXI) insertos fuisse statuimus; sufficiat commemorasse eo ipso quaternionum istorum statu, quippe qui ordini a nobis statuto egregie faveat, ad constituendum eum ordinem nos esse perductos.

[2]) Cf. e. g. q. III:



VII, ex litteris posteriore aetate adpictis quaternionem XXXII in medio quaternione XXXI fuisse conlocatum supra viderimus, in eorum quaternionum significata coniunctione manifestum deprehenditur argumentum, etiamtum cum ordo restituebatur, utriusque ordinis illegitimi adfuisse vestigia.

Quaeritur iam, qualis in significanda ordinis prioris mutatione ratio inita sit. Cum quaternionis XII neque cum quaternione XI neque cum XIII cohaerentia indicetur, quamquam eum quaternionem suo conlocatum esse loco cum probabilitate quadam contendimus, id plane adparet, non quemque locum, ubi quaternio inserebatur, esse significatum, procul dubio quia plerumque primariis quaternionum notis eorum ordinem satis accurate significari putabat qui libri connexum legitimum restituebat[1]). Contra cum cohaerentiam et quaternionum VII et VIII, unde quaternio XII, et mediorum quaternionis XXXI foliorum (= fol. 169 et 170), unde quaternio XXXII demptus est, significatam esse videamus, sedes, quas antea occupaverant quaterniones isti transpositi, syllabis in margine repetitis indicari recte coniciemus. Mutationis significandae ratio.

Quae coniectura alia re confirmatur. Cum respecto ordine a litterarum scriptore instituto eandem inter quaterniones XX et XXI quam inter XXXI et XXXII intercedere rationem perspiciamus, dubium esse nequit, quin quaternio XXI, quo tempore novus hic ordo instituebatur, in medio quaternione XX non amplius fuerit conlocatus; quia neque foliorum mediorum quaternionis XX neque quaternionum XX et XXI cohaerentia significatur. Idem valet de quaternione VI, cuius item folia media coniungenda esse sine dubio significasset homo ille de libri ordine restituendo bene meritus, si quaternionem XXVIIII ibi conlocatum invenisset. Atque profecto cum ex litteris ipsis, quibus prior ordo significatus erat, eo tempore codicis compages firmatas non esse pateat, quia connexis artius inter se adhibitis filo acuque quaternionibus litterae supravacaneae videntur, qua-

[1]) Excipiendi sunt quaterniones II et III, quorum cohaerentiam significari necessarium erat propter numerum I a manu saeculi octavi folio 1r quaternionis III prave adscriptum.


terniones vagi e sedibus ipsis prave adsignatis facillime excidere poterant litterisque neglectis inseri aliis non magis aptis.

Sedes quaternionibus vagis adsignatae.

Ergo ubinam fuerint inserti quaterniones vagi, cum is, cui novus ordo debetur, librum tractare inciperet, licebit quaerere. Atque sane mirum est, missis quaternionibus I XV—XVIII, quos iam superiore aetate cum summa probabilitate inter deperditos retulimus, quot partim litteris istis, partim numero I saeculo octavo adscripto testibus scimus vagos fuisse integros quaterniones (II XXI XXVIIII XXXII), tot quaternionum folia media inter se vocabulis syllabisve continuis repetitis coniungi (q. VII VIII VIIII XXXI). Qua ratione, nam casu illud factum esse negaverim, tunc temporis quaterniones II XXI XXVIIII mediis quaternionibus VII VIII VIIII fuisse insertos atque inde ab eo, quem quaternionum numeris ducibus libri ordinem pristinum restituisse negari nequit, remotos sedibusque legitimis esse conlocatos contenderim.

Quaterniones mutili suis sedibus restituti non sunt.

Porro praetermittendum non est, vocabula ista finituma vocabulorumve syllabas, quibus exscriptis duas paginas se excipere docemur, nisi in quaternionibus hodie integris, si excipias quaternionem XXVII, de quo paulo infra fusius agemus, non inveniri. Quaternionum igitur mutilorum neque folia recte disposita esse videntur neque quonam conlocandi essent loco accuratius indicatum est. Ita explicatur, qui factum sit, ut quaternionis istius conflati ex complurium quaternionum quibusdam partibus




folia ea coniungendi ratione careant; nam licet quaternio ex eis esset constitutus, folia tamen ea unius quaternionis non esse perquam facile erat intellegere.

Quaterniones XXIIII et XXVII.

At videtur evertere sententiam, in qua defendenda versamur, quaternio XXVII, cuius quamquam hodie mutili folia in ordinem digesta esse tabula superiore docemur. Quaestio haec eo magis fit intricata, cum conlatis eiusdem

tabulae et quaternionibus III XI XXXII et ternione XXXIII iam tum folia quaternionis XXVII media non amplius exstitisse pateat; desiderantur enim in folio 141v litterulae solito modo repetitae. Quam quaestionem ut expediamus, necessarium est, ut et in memoriam nobis revocemus, quinam quaternionis XXVII status eo tempore, quo litterae A—Q adscriptae sunt, fuerit et quid ex cohaerentiae signis quibusdam quaternionis XXIIII foliis adscriptis conligendum sit, inquiramus. Atque in uno quaternione XXIIII duo tantum folia partis prioris et quae illis respondent duo partis posterioris



syllabis loco solito repetitis coniunguntur. Id quidem non eam ob rem factum esse, quod foliorum 2—7 vel 3—6 compages esset dissoluta, facile probari potest. Nam cum non agatur de foliis exterioribus 1—8, sed de interioribus, pro singulari quae in recte disponendis quaternionum foliis adhibita est diligentia dubium non est, quin futurum fuerit, ut et cum eis quae praecedunt et cum eis quae secuntur foliis folia ista vaga connecterentur. Quare multo verisimilius videtur ea sententia, qua disiectum eum quaternionem in duas partes fuisse arbitramur, quarum altera eaque interior postea forte fortuna cum quattuor interioribus foliis quaternionis ex reliquiis quaternionis XXVII et foliis 136 et 137 compositi locum mutaverit. Itaque quaterniones isti, quorum folia antea hoc modo se exceperant:

XXIIII

1	2	3	4	5	6	7	8
123	124	125	126	127	128	129	130

XXVII (XXVI)

1	2	3	2	7	6	7	8
139	140	141	136	137	142	143	144

transmutatis inter se interioribus partibus mox hunc foliorum ordinem ostendebant:

XXIIII / XXVII / XXVI

1	2	3	2	7	6	7	8
123	124	141	136	137	142	129	130

XXVII / XXIIII

1	2	3	4	5	6	7	8
139	140	125	126	127	128	143	144

Invenit igitur, qui ut quaternionum integrorum folia recte digereret sibi proposuerat, duos qui obiter inspicienti integri videbantur quaterniones; atque transmutatis denuo inter se sine dubio interioribus partibus quaternionem XXIIII in integrum restituit, quaternionis vero XXVII sex tantum quorum cohaerentia significari poterat folia adesse deprehendit. Quid vero foliis 136 et 137 factum sit, utrum etiam in posterum locum inter quaternionis XXVII folia obtinuerint necne, discernere non audemus, cum ad absolvendam hanc quaestionem nullum adsit subsidium.

Quaterniones XXIIII et XXVI.

Denique iam supra commemoratum est, quos hodie in quaternionum XXIIII et XXVI foliis extremis eisque versis conspicimus numeros genuinos non esse, sed profectos a manu multo recentiore. Interrogare igitur licet, fuerintne iam tum, cum ratione habita et orationis continuae et numerorum, quibus singulos quaterniones significaverat librarius, codicis status restituebatur, erasi numeri a manu primaria adscripti necne; verum diiudicare eam quaestionem cum nequeamus, nihil restat, nisi ut quid in utroque casu eum qui quaterniones disposuit facturum fuisse verisimile sit coniciamus. Atque quin quaternionis XXIIII folia conquisita apte conlocarit, nemo dubitabit; neque quin suo loco quaternionem XXIIII reliquerit, in dubium vocari potest, cum quaterniones XXIII, qui aeque integer est, et XXIIII inter se orationis connexu cohaereant, id quod latere eum non poterat. Quaternionem vero ex quaternionum XXVI XXV IIII V partibus quibusdam constitutum in ordinem non esse redactum iam supra suspicati sumus, nisi quod folia 135 et 138, sive in fol. 138[v] etiamtum legebatur *q.XXVI*, sive sola quae adhuc conspicitur litterula *q.*, quaternioni isti mixto ut extrema circumdata esse probabilitate aliqua non caret, quamquam eorum cum ceteris cohaerentia significari nequibat. Denique numero

XXVI sive iam evanido sive integro quaternionem hunc ex foliis inter se non continuis confusum ex loco, quo antea eum fuisse conlocatum contendimus (post q. XXVII) remotum atque inter quaterniones XXIIII et XXVII, ubi lacuna aderat, translatum esse fere manifestum videtur.

Quae cum ita sint, codicem, ex quo tempore in Frisiam pervenit atque monasterio Laurisheimensi traditus est, nactum non esse lectores satis doctos, qui rerum Romanarum memoriam inde essent hausturi, plane adparet. Neque id miros nos habere potest; nam Fresonum episcopi saeculi VIII, quorum quidam librum possederat, rebus maioribus occupati studiis earum litterarum, in quarum numero Livii ab Urbe condita libri ponendi sunt, vacare nequibant; domandi enim prius erant feri incolarum mores quam de studiis litterarum fovendis cogitari poterat. De primis monasterii Laurisheimensis monachis idem valere vix est quod moneamus. Neque vero cum tempora litterarum studiis magis faverent, primum quemque monachum, qui linguam callebat Latinam, idoneum iam fuisse, qui codice uteretur Liviano eumque in ordinem redigeret, quisque concedet, qui vel Erasmi Rotterodamensis praefationem editioni Frobenianae praemissam quaeque ibi de magnis editionis parandae difficultatibus commemorantur perlegerit vel ipse codicis aliquot folia libris impressis non adhibitis tentaverit. Quare mirandum non est latuisse codicem in monasterio neque tanti habitum quanti hodie est pretii, quippe qui compage meliore dignus non habebatur, quamvis ex indice codicum monasterii Laurisheimensis saeculo XII. orto atque ab A. Maio publici iuris facto [1]) sciamus plurimos

Codex tenebris obrutus.

---

[1]) Cf. *Spicil. Rom.* tom. V. p. 160—200: *Breviarium codicum monasterii sancti Nazarii in Laurissa seu Laureshamensis ad Rhenum ex pervetusto codice bibliothecae Palatinae Vaticanae, qui fuit olim eiusdem monasterii*; cf. etiam quae A. Wilmannsius in *Musei Rhenani* t. XXIII p. 385 sqq. eius catalogi edidit supplementa ad rem criticam potissimum referenda.

codices pretiosis exornatos fuisse involucris[1]). Cum igitur codici ut minus pretioso etiam minus curae impenderetur, intellegitur, quomodo fieri potuerit, ut cum anno 774 monachi in alterum migrarent monasterium[2]), siquidem iam prius donatus erat monasterio, aut cum anno 1090 incendio deleretur monasterium[3]) vel per aliam occasionem quaedam codicis partes interciderent. Verum etiam eidem qua codex iacebat obscuritate videtur esse debendum quod libri quinque decadis quintae Livianae hodie sunt servati; nam constat non paucos libros bibliothecae Laurisheimensis pretiosiores vel deperditos vel venditos. Sic Diemo abbas (1125—1139) *tres libros auro et argento gemmisque pretiosis exornatos* venumdedit, unde impensas belli solveret[4]). Ob eandem causam, quia in viliorum librorum habebatur numero, codex neque ut *Chronicon Laurishamense* anno fere 1230, cum Laurisheimum Sigfrido archiepiscopo Moguntino traderetur, Moguntiacum neque postea Heidelbergam translatus est,[5]) immo etiam, ubi *Joh. Dalbergius episcopus Wormatiensis meliores quosque codices hinc* (i. e. ex monasterio Laurisheimensi) *in Ladenburgensem bibliothecam transtulit*[6]), codex Livianus Laurisheimi remansit. Posteriore tamen aetate codicem, licet in pretiosissimorum librorum numero non haberetur, inspectum atque perlectum nonnumquam esse, et syllabarum repetitiones, de quibus supra egimus, et nomina propria et aliae quaedam res in margine adscriptae testantur[7]).

---

[1]) Cf. Val. Falk. *Geschichte des ehemaligen Klosters Lorsch an der Bergstrasse, Mainz 1866*, pag. 35 et additamenta in calce operis adnexa, ex quibus praeter cetera huc pertinent quae in pag. 175 (*Die Klosterbibliothek*) inveniuntur.

[2]) Cf. Falk. l. c. p. 142. n. 17.

[3]) Cf. Falk. l. c. p. 204. n. 103.

[4]) Cf. Falk. l. c. p. 179.

[5]) Cf. Falk. l. c. p. 169.

[6]) Cf. Lomcieri: *De bibliothecis* p. 221 apud Falkium l. c. p. 180.

[7]) Sic in fol. 102ʳ (XLIIII, 1, 1—5) praeter compluria nomina propria in margine exscripta leguntur haec: *Εὔροι γὰρ μετὰ* (?) *Ληρῖσσας* (sic); in fol. 35ᵛ margine *promunturium* illud, de quo Livius loquitur (XLII, 20, 3), lineis descriptum invenitur.

Simon Grynaeus igitur primus ex codice tunc Laurisheimensi paravit exemplar, *quod typographicis operis traderetur utendum.* Nam ille est, qui in editionis Frobenianae praefatione laudatur, vir *doctus, attentus et in hoc ipsum exercitatus,* qui, quod propter archetypi *admirandam vetustatem litterarumque perpetuam seriem* erat difficillimum, *verbum ab verbo diremerat* quique *non minore cura quam fide advigilaverat, ne usquam in describendo ab archetypo recederetur.* Editio Frobeniana I.

Utrum vero Grynaeo in monasterio ipso codicis inspiciendi copia facta sit an monachi eum Basilèam miserint, unde apographum describerent docti officinae Frobenianae correctores, ea de re nec praefatione edocemur nec fides habenda esse videtur iis quae Lambeccius refert coniectura potius ex praefatione desumpta quam testium nobis ignotorum fide tradita. Is vero haec de codice narrat: Codex hic Livianus *primum ex monasterio Laurisheimensi in Helvetiam, deinde autem ex Helvetia in Comitatus Tirolensis Archiducalem Arcem Ambrasianam et tandem inde in Augustissimam Bibliothecam Caesaream Vindobonensem transmigravit, ubi nunc tanquam redivivus nova fruitur luce et doctis sui aestimatoribus admirandum simul ac periucundum praebet spectaculum.* Ergo Lambeccius praefationis testimonio accuratius non inspecto codicem in Helvetiam, ubi typis mandaretur, transportatum ibi remansisse posterioreque tempore inde in *Arcem Tirolensem* delatum esse cum fiducia adfirmasse videtur. Utut vero haec sunt — accuratius enim codicis migrationes persequi nobis non contigit —, id pro certo potest contendi, codicem ad parandam editionem a Grynaeo descriptum in editionis alterius usum, quo apographi prioris menda cum fide corrigerentur vel manuscripti libri errores facilius emendarentur, non iterum esse inspectum vel denuo conferendi copiam non fuisse, id quod utriusque editionis comparatione diligenter instituta didici. Cuius quaestionis, quam data occasione uberius fortasse tractare licebit, capita tantum perstringere hoc loco in animo est.

Editionum Frobenianarum I et II conlatio.

Atque lectiones utriusque editionis variantes inspicienti statim adparet non eius naturae esse mutationes, ut toto caelo differant duae illae editiones; immo si respicias ad tot lacunas mendasque nec tunc temporis neque hodie sanatas, quarum tamen nulla ne tangitur quidem, dubium esse nequit, quin paucis iisque levibus tantum rebus exceptis editio altera eadem sit ac prior; quod etiam ex titulo quintae decadi praefixo adparet. Nam ut nihil dicam huius decadis editionem, scilicet in qua paranda minus conlocatum erat negotii, iam anno 1534 esse confectam, nulla fit mentio recognitionis accuratius institutae, id quod in prima editionis pag. de tribus prioribus decadibus disertis verbis praedicatur: *T. Liuii Patauini Latinae Historiae Principis Decades tres cum dimidia longe tamen quam nuper emaculatiores, quod nunc demum ad uetera contulerimus exemplaria* .... Accedit, quod eadem epistula Desid. Erasmi, quae editioni priori, huic quoque ne ullo quidem verbo mutato eodemque temporis indicio adposito (*Calend. Martiis MDXXXI*) praemissa est. Deinde mutationes ita sunt comparatae, ut codicem iterum esse accuratiusque conlatum nullum adsit indicium. Nam perpauci illi loci, ubi editio altera relicta editionis prioris lectione cum codice consentit, nominibus propriis continentur, in quibus non solum codicis scriptura variat, ita ut vel ob eam causam ad rem nihil faciant, sed quae sive conlatis aliis locis similibus sive accuratiore de iis instituta quaestione vel mutari vel corrigi aeque facile potuerunt ac menda tria manifesta, quae in editione priore inveniuntur; sunt vero loci:

Loci editionis II cum codice consentientes.

	Editionis I.	Editionis II.
XLII, 28, 5	L. Julius Annalis	L. Junius Annalis
„ 34, 5	Flaminius	Flamininus
XLIII, 15, 3	Serg.	Ser.
„ 16, 2	equestem	equestrem
XLIIII, 44, 5	profectos Emathiae	praefectos Emathiae
XLV, 24, 10	cum nemo arma... laturos sit.	cum nemo arma.... laturus sit.
„ 42, 11	Flaminius	Flamininus
„ 44, 3	Flaminium	Flamininum

Conferendi sunt cum his locis XLII, 31, 9, ubi codex C·IULIUS ANNALIS, et XLIII, 11, 13, ubi codex L·FLAMINIUS, et XLII, 44, 6; XLIII, 11, 8; XLV, 17, 3, ubi SERG. exhibet; quibus ex codice ipso genuinam scripturam aliis subsidiis non adhibitis erui vix posse probatur[1]). Quibus locis sane paucissimis, ut mittamus et locos 16, ubi altera editio neque cum priore neque cum codice consentit, et 23, qui cum emendationes aut interpunctionum aut orthographicas ostendant ex codice mutari non potuerunt, opponemus iam plurimos, in quibus editio altera prioris cum codice consentientis exemplum deserit. Sunt vero hi:

Loci editionis II a codice discrepantes.

	Editionis I.	Editionis II.
XLI, 10, 7	esse	sese
„ 13, 4	Lunam	Lucam
„ 16, 1 *et* 17, 5	ante diem	ad diem
„ 18, 6	eodem tempore	eodem (*om.* tempore)
„ 18, 7	congrederentur	digrederentur
„ 21, 8	(*bis*) T.	Tib.
„ 21, 13	auis	aureis
XLII, 12, 1	ciues	ciuitates
„ 31, 9	Julius Annalis	Junius Annalis
„ 34, 9	T.	Tib.
„ 37, 1	Sergius	Ser.
„ 44, 6	Serg.	Ser.
„ 47, 8	esse bello (*cod.* esse bellum)	bello esse
„ 67, 4	Corracum (*cod.* corrachum)	et Corragum
„ 67, 4	Marenem	Marenen
XLIII, 3, 4	Masinissae	Masanissae
„ 7, 5	Micion	Miccion
„ 8, 8	Micioni	Miccioni

[1]) Quae restant exempla (*equestem*, *profectos*, *laturos*) inter menda editionis prioris numeranda esse, quae a quolibet homine linguae Latinae gnaro facillime corrigi poterant, nemo infitias ibit.

Editionis I.	Editionis II.
XLIII, 11, 2 Furium	Fuluium
„ 11, 8 Serg.	Ser.
„ 14, 1 Leuinus	Laeuinus
„ 14, 1 *et* 6 T.	Tib.
„ 14, 6 quotienscunque (*cod.* quotienscumque)	quotiescunque
„ 15, 8 *et* 16, 7 T.	Tib.
„ 17, 3 oneribusque impensisque	oneribus impensisque
„ 17, 7 Typri	Tyrrei
XLIIII, 4, 8 stabat	restabat
„ 5, 13 Libetthyrum	Libethrum
„ 6, 15 Baplyri	Baphyri
„ 6, 16 Thessalorum	et saxorum
„ 7, 1 omneis [1])	omnes
„ 12, 3 afferrent	inferrent
„ 14, 12 faciendum	faciundum
„ 16, 6 magno	magnoque
„ 16, 7 locum lautiam	locum lautia
„ 16, 10 T.	Tib.
„ 18, 8 aedilis curulis	aediliū curuliū
„ 19, 3 infra	intra
„ 19, 9 terrebat	tenebat
„ 21, 2 uti octo legiones, parem . . crearet	ut in octo legiones parem . . crearēt
„ 24, 11 sese habuit	se habuit
„ 27, 4 Perrebiae	Perraebiae
„ 27, 8 missa Gentio . . . passus. Inde	missis a Gentio . . . passus est. Inde
„ 30, 13 Algalsus	Agalsus
„ 32, 6 habebat Thessalonica. Eumenes	habebat. Thessalonicę Eumenes
„ 33, 3 scaturiges (*cod.* scaturriges)	scaturigines

[1]) Ita editio Frobeniana I et aliis locis etiam II reddit scripturam codicis IS = es.

	Editionis I.	Editionis II.
XLIIII 34, 8	bucculasque scutorum, alii loricas	bucculasque, scuta alii loricasque
„ 35, 3	obsideis	obsides
„ 35, 10	Perrebos . . Perrebiam	Perraebos . . Perraebiam
„ 36, 5	increscere	increseceret
„ 37, 7	fugere	fulgere
„ 45, 15	Calipsum	Galipsum
„ 46, 11	obuia	obuiam
XLV, 13, 12	Masinissa	Masanissa
„ 13, 15	Masinissam	Masanissam
„ 13, 16 *et* 14, 8	Masinissae	Masanissae
„ 14, 1	Masinissam	Masanissam
„ 17, 3	Serg.	Ser.
„ 20, 6	Lautiam	lautia
„ 22, 5	uincatis	uindicatis
„ 26, 13	Tirustaras Inittas Olciniatas	Tirustas Rizonitas Olciniatas
„ 26, 15	Olceratinos	Olciniatas
„ 31, 11	Acheis (*cod.* aceis)	Achaeis
„ 32, 6	aliquis	aliquibus
„ 33, 1	Lunamque	Luamque
„ 34, 14	inter tam opulentos	inter opulentos
„ 35, 6	nihil relicturis	nihil relicturus
„ 38, 9	ingrata	in ingrata
„ 39, 8	pudore nostrum	pudore nostro
„ 44, 15	Masinissae	Masanissae

Ad parandam ed. II codex denuo non est conlatus.

Unde editionem alteram, quo propius veritatem plerumque venit, eo magis a codicis vestigiis recessisse adparet. Cum ea quae de utriusque editionis differentia adhuc disputavimus necessarium non esse, ut conlationem denuo institutam statuamus, evincant, contra exstant argumenta quaedam, ex quibus codicem denuo non esse conlatum perspicue intellegitur. Non raro enim, quamvis verior sit codicis scriptura, editio tamen altera cum priore consentit cf. e. g. XLV, 27, 5, ubi *ad*, quod in codice legitur,

omisit utraque editio; ibidem in eodem v. 5. ex *maioram* restituendum erat, id quod Kreyssigius fecit, *maiora;* at in editionibus exhibetur *magis;* XLV, 29, 11 illud *nec* a codice recte traditum omissum est in editione et posteriore et priore; item XLV, 34, 6 *numerata,* quam scripturam in codice invenimus, in utraque editione perversum in *numeratum* et eius generis plura. — Firmissimum autem huius rei argumentum in eo inest, quod genuinam et codicis et utriusque editionis scripturam libri XLIIII, 1, 4 *dies unius expedito iter est* in erratorum indice alterius corrector patrium casum *dies* et Gellii auctoritate et scriptorum exemplis confirmatum[1]) ut typographi errorem emendavit. Ita enim docet *dies* in *diei* esse mutandum ut *exemplo* in *extemplo* (XLII, 48, 4) et *aderit* in *aperit* (XLIIII, 6, 2).

Codex in arcem Ambrasianam transfertur.

Codex postquam ab Helvetiis usurpatus est, quae fata habuerit, quo anno a quibus in arcem Ambrasianam delatus sit, novis testimoniis non inventis accuratius definiri nequit. Id quidem certum est anno p. Ch. 1625 inter librorum Ambrasianorum numerum eum fuisse eoque anno novo adornatum esse involucro; haec enim tergo inscribuntur libri: *Titi Liui Patauini Historiae Romanae Libri quinque qui propter aliorum olim sequentium defectum nunc sunt ultimi, nempe XLI, XLII, XLIII, XLIV et XLV Rarissimus Codex Liuianus Codd. M . . t . . . Histori . . . . N. 57 . . . IOCXXV 287.*

Codex Vindobonam transportatur.

Mansit itaque codex in arce Ambrasiana, donec anno 1665 a Petro Lambeccio cum 582 libris manuscriptis Vindobonam transportaretur. Quae fuerit eius itineris ratio quaeque in illo codex Livianus subierit pericula, ipse narrat Lambeccius[2]): *Quod ad ipsam supra memoratorum 2072 Voluminum Ambrasianorum (transportata enim sunt praeter msta 583, etiam impressa 1489) transportationem attinet, in-*

---

[1]) Cf. Neue, *Formenlehre d. lat. Spr.* I, p. 390.

[2]) Cf. *Comment. l. II.* p. 519 sqq. edit. II.

clusi ea 22 doliis salinariis, quae peculiari nomine Saltzpantzen appellantur, et sex cistis curavique nonnullis curribus pervehi Halam, ubi tandem die 2. Novembris in navim illata sunt. Quo contra intentionem meam per varia inopinata obstacula tarde admodum expedito, ne tamen taediosissimis abnavigandi tergiversationibus diutius essem obnoxius, contuli me curru eadem adhuc vespera ad pagum Volters, unius circiter horae spatio Hala dissitum; summo autem mane sequentis diei tertii Novembris contendi porro Sebatum, ibique navim, quae cum famulo praecedenti nocte in ea relicto secuta erat, ingressus sum paulo post meridiem atque inde per Oenum et Danubium perrexi Vindobonam non minus periculose quam incommode. Navis enim, quam multis flagitationibus vix tandem extorseram, valde fuit lacera et ruinosa; nautae autem quattuor ei regendae adsignati bipedes fuere omnium nequissimi; quippe qui in toto illo itinere adeo ignave, contumaciter et perverse se gesserunt, ut meritam sibi metuentes poenam, cum die 11. *Novembris valde sero Nusdorfium pervenissem, omnes nocturno tempore clanculum aufugerint. Quamobrem conductis sequenti die aliis quattuor nautis, confeci unum illud, quod supererat, vix integrum milliare Germanicum et circa horam decimam matutinam salvus atque incolumis Vindobonam redii. Curavi deinde dolia et cistas, quibus supramemorati Ambrasiani libri continebantur sine mora e navi extrahi et adminiculo aliquot curruum recta transferri in Augustissimam Bibliothecam Caesaream.*

Ceterum anno demum 1669 codici Liviano numerus inter libros manuscriptos bibliothecae Caesareae adsignatus esse videtur; legitur enim in fronte involucri litteris aureis impressum: E. A. B. C. V. Nr. 3 L. I. 1. 6. P. L. B. 6. 9. i. e. *Ex augustissima bibliotheca Caesarea Vindobonensi Nr. 3. — Leopoldus I.* (in media sigilli area) *1669. Petrus Lambeccius bibliothecarius.*

Codex absconditus latet.

Quamvis Simon Grynaeus quam maximam adhibuerit in edenda V. decade Liviana diligentiam, nemo tamen edi-

tionem istam omnibus existimabit numeris absolutam. Lambeccius primus nova opus esse codicis conlatione et intellexit et disertis confessus est verbis[1]. *Superest enim* — ut ipsius verbis utar — *profecto non mediocre variantium lectionum spicilegium, quod alias summa industria et fide a me exhibebitur in peculiari quadam Dissertatione de duodecim Codicibus MStis Historiae Romanae Titi Livii, qui una cum triginta duobus eiusdem Historiae primariis editionibus impressis in Augustissima Bibliotheca Caesarea asservantur.* Sed promissis non stetit Lambeccius itaque factum est, ut unius tantum loci (XLI, 9, 11—12) scripturam genuinam a Lambeccio publici iuris factam hodie habeamus, quam l. c. inseruit Comment. libro alteri.

Quod Lambeccius promiserat, post eum adgressus est Gentilottius; testatur enim Drakenborchius, qui editioni quam parabat Livianae lectiones variantes acquirere studuit codicis Liviani Vindobonensis, spe frustratum se ideo esse, *quod variantes unici istius codicis lectiones a clarissimo Gentilottio collectae continuationi Commentariorum Lambecianorum inserendae essent eaque continuatio jam prelo parata Augustissimi Imperatoris Caroli VI. mandato adhuc tenebris premeretur*[2]. Sed conlatio a Gentilottio instituta numquam in lucem prodiit nec quid isti factum sit scimus. Itaque nec Drakenborchius codicis inspiciendi copiam obtinuit, qui ut id impetraret nihil reliqui fecisset, neque qui proximi post eum hanc decadem Livianam tractarunt ipso usi sunt codice. Persuasum enim iis erat, si ex unius viri docti verbis de omnibus ferre licet sententiam, *in gravioribus corruptelis, etiam hic omnem rem ad acumen criticum redire*[3]. — Cum igitur et ad impetrandam codicis inspiciendi copiam *ipsius Augustissimi Imperatoris venia et diplomate opus esset* et viri docti

[1]) Cf. *Comment. l. II.* p. 847 ed. alt.

[2]) Cf. edit. Livii Drakenborchian. T. XV. praef. ad lect.

[3]) Cf. *Emendationes Livianae. Scripsit G. L. Walchius.* Berol. 1815.

passim in exercenda arte critica plus acumini quam genuinae scripturae dandum esse censerent, perfacile intellegitur, qui factum sit, ut codex tantum temporis spatium cum magno rei litterariae damno obscuritatis tenebris tegeretur.

Primus qui integram codicis instituit conlationem, fuit Barth. Kopitarius. Cessit conlatio ista in I. Th. Kreyssigii usum, quam ad editiones suas adornandas magno cum fructu adhibuit. Attamen multum abfuit, ut conlatio Kopitariana criticorum severitati sufficeret. Nam ipse Kopitarius minus accurate rem egerat multaque aut prorsus neglexerat aut perverse litteris mandaverat. Quae cum ita sint, non maximi ducendam esse conlationem istam per se patet; accedit autem, quod lectiones variantes a Kopitario traditae non continua exhibentur serie, sed variis locis inveniuntur dispersae. Kreyssigius enim in neutra editione scripturas codicis indicavit; posteriore demum tempore libris minoribus nonnullas scripturae codicis discrepantias inseruit atque in *Adnotationibus ad T. Livii libros XXXXI—XXXXV Misenae* editis a. 1849 supplementum editionum suarum criticum composuit. Neque tamen ea est huius libelli indoles, in qua acquiescere possit qui artem criticam in his libris est exerciturus. Kopitariana conlatione deinde etiam I. Bekkerus usus est. Conlationes institutae a Kopitario.

Antequam Kreyssigius supplementum illud edidit, Alschefskius quoque codicem contulit nonnullasque quas inde hausit lectiones variantes commentariis inseruit. Sed neque Alschefskius hac conlatione rem ad vivum resecavit, qui ne sciamus quidem utrum integram conlationem instituerit necne[1]). Anno 1846 Madvigius cum per Germaniam iter faceret, capita nonnulla codicis perlustravit, unde enata est disputatio *de Livii libri XLIII initio e cod. Vindob. emendando,* quae Hauniae a. 1852 prodiit. Qui cum *in hac Liviani operis parte pleno et certo instrumento uti vellet,* a. 1853 Joann. Forchhammerum rogavit, ut, cum Italiam ab Alschefskio et Madvigio.

[1]) Cf. Hertzii praef. ed. Livian. Tauchn. T. IV. p. VIII.

4*

peteret, via deflectens codicis Liviani Vindobonensis conlationem integram institueret. Quod ille praestitit ita, ut ipse libros XLI et XLIII, porro libri XLIIII cc. 1—35 accurate conferret adnotaretque codicis ab editione Tauchnitziana discrepantias, reliqua (ll. XLII, XLIIII a c. 36 ad finem, XLV) conferenda curaret per alium virum doctum et Madvigio teste utique fide dignum, qui exemplari usus est Drakenborchiano. Cuius conlationis cum casu intercidissent 21 capita (a quibus l. XLII incipit), lacunam explevit Guil. Faustkam, qui lectiones varias exemplari Weissenborniano inseruit. Quo adiutus instrumento critico Io. Nic. Madvigius edidit a. 1860 in clarissimis *Emendationibus Livianis* novarum emendationum messem non contemnendam [1]) simulque promisit se *omnes codicis scripturas, ut alii examinare possint, propediem alibi editurum.*

Madvigii emendationes Livianae.

Editio Hertziana.

Interea Hertzio, cuius editio Liviana eo processerat, ut ipsi ad quintam decadem perpoliendam accedendum esset, cum virum quaereret idoneum, qui conlationem codicis conficeret quam maxime accuratam, suum apographum subtilissima diligentia confectum obtulit Vahlenus, qui studiis Livianis in *Ephem. Gymn. Austr.* [2]), quam accurate codicem tractasset quantusque ex accurata conlatione fructus ad desperatorum locorum sanationem redundaret splendidissimis docuerat exemplis. Hertzius igitur, cum iam antea in programmate Vratislaviae a. 1863 edito Livii libri XLII cc. 1—14 ad Codicem Vindobonensem recensuisset, conlationem codicis in praefatione editionis communicavit textus verbis in rebus orthographicis ad illius auctoritatem accuratissime exactis. Quae editio praeter luculentissima emendationis exempla duabus rebus prae ceteris excellit, et quod prima est, quae integram totius codicis conlationem eamque diligentissimam continet et quod codicis imaginem fidam verborum recensione expressit.

Editio Madvigiana.

Madvigius postquam aestate a. 1863 Vindobonam profectus codicem Vindobonensem *per aliquot dies studiose*

---

[1]) Cf. p. 487.

[2]) Cf. tom. anni 1861 p. 5 sqq., 249 sqq.

tractavit, ita quidem ut *totum librum XLI et libri XLII capita triginta prima diligentissime cum exemplari Tauchnitziano conferret, reliquorum librorum experimenti causa parvas quasdam particulas*, anno proximo in lucem prodierunt *Titi Livii Historiarum Romanarum Libri quinque a XLI ad XLV*, qui quarti voluminis partem priorem efficiunt operum Livianorum a Madvigio et Ussingio editorum. Perseveravit Madvigius in eo quod sibi proposuerat, quia forma orationis Livianae, qualem ipse composuerat, ab Hertziana *partim propter iudicii diversitatem, partim propter maiorem quandam veritatis fiduciam, postremo propter nova inventa non paucis locis differebat;* quam ob rem ei *et aequum et commodum videbatur, eius recensionis cum codice ipso perpetuo contendendae in ipso exemplo potestatem fieri facili brevique ratione, ipsa codicis scriptura et emendationum annotatione singulis paginis subiecta, non aliunde moleste peti, cum praesertim ne id quidem inutile futurum esset, Vahlenianae collationis fidem edita altera universe confirmari, adiuncta in paucis locis sive correctione sive supplemento.* Itaque factum est, ut cum per tantum temporis spatium nulla existeret editio apparatu critico instructa, paucis annis nacti simus duas.

Post Vahlenum praeter G. Hartelium, qui a. 1866 in *Ephem. Gymn. Austr.* de nonnullis locis quaestionem instituit, nemo quod sciam codicem inspexit aut tractavit. Ne quis vero egregii dicat me oblivisci libelli *Analectorum Livianorum* a Th. Mommseno et G. Studemundio editorum a. 1873, praeter duas tabulas aeri incisas, quae ibi exhibentur, de ultima tantum codicis pagina quaedam quaestiones tractatae sunt. Ceterum nemo non videt has tabulas, si Sickelianam exceperis, egregie praestare ceteris antea editis; primus enim a. 1815 Walchius *emendationibus Livianis* triplex *Specimen scripturae Cod. Vind.* adiunxerat; alteram tabulam exhibuit Pertzius in *Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde IV, 521*; tertiam *Endlicherus in catal. codd. philol. Lat. bibl. Vind.* (tab. II); quartam denique Sickelius in Monum. med. aev. (Fasc. IV. tab. I).

G. Hartelii studia Liviana.

Analecta Liviana.

Scripturae codicis specimina.

Conlatio editionum Hertzianae et Madvigianae.

Post hos doctissimorum virorum labores me operae pretium non facturum plerique putabunt, si denuo vetustissimi libri quaestionem instituam. Neque vero eam adgredi animum induxissem, nisi subtiliores de rebus orthographicis quaestiones incohatae, ad quas absolvendas coniunctam et Madvigii et Hertzii operam non sufficere intellegerem, ipse ut codicis scripturas accuratius examinarem flagitassent. Nam si utriusque editionis praefationes perlegeris, haerebis profecto, utri maior habenda sit fides. Hertzium si audias, conlationi editioni eius praemissae *ibi quoque fides habenda est, ubi ab ea quae in Madvigii usum instituta est discedit*; si Madvigio credas, *Forchhammeri diligentia omnia minima accuratissime persecuta est, nihil ut desiderari possit eique etiam dissentiente Hertzio* (*aut Vahlenio*) *fides fere ubique habenda est*; et *qui Forchhammero succesit quamquam perpauca et minima non animadvertisse videtur, interdum in comparatione superior est.* — Sane quod ad eos adtinet locos, in quorum scriptura tradenda et Hertzius et Madvigius consentiunt, plerumque non errabimus fidem eis praebendo; attamen ubi inter se differunt, fere necessario ad ipsum relegamur codicem, si de genuina eius scriptura agitur. Verum neque si mittamus molestas illas differentias, acquiescere licet his editionibus, cum utraque pluribus laboret iisque non exiguis defectibus. Primum litterae minusculae minus aptae sunt, quibus varios librarii errores aberrationesque oculorum intellegamus. Certe quamquam non licuit litteris prorsus similibus codicem typis exprimere, tamen cum maiore artis criticae fructu litterae maiusculae in adnotatione critica adhibendae erant. Correctiones in codice obvias minus accurate a se significatas esse Hertzius ipse fatetur; Madvigius autem, qui litteras in codice lineola transversa perfossas puncto infra lineam posito notat, aliam parat molestiam ponendo supra litterulas I puncta (*i*), quae nisi in codicis litterulis expungendis nusquam inveniuntur; unde fit, ut nescias, quibus locis iis punctis correctio significetur. Accedit neutrum editorem ubique, sed hinc illinc tantum accuratius indicare linearum fines,

quos maximi ubique esse momenti ad explicandos errores a librario incurio commissos nemo non videt.

Conlatio codicis novissima.

Cum igitur nisi codice ipso inspecto de testimoniis, quae in utraque conlatione inter se sunt contrariae[1]), non posse cum ea qua in rebus criticis opus est fiducia,

---

[1]) Ad demonstrandas quae inter editionis Hertzianae et Madvigianae adnotationem criticam et scripturam codicis intercedant discrepantias haec sufficiant exempla deprompta ex ll. XLI—XLV initiis.

L. XLI	Madvigius	Codex	Hertzius
c. IX, 11	muttandae *aut* muittandae	MULTANDAE	multandae
	mitterenquid	MITTERE'NQUID	mıtteren (*inter* e *et* n *sup. lin. add.* ı)
X, 1	—	a voce DUM nova incipit linea	—
	hibernASSENT	HIBER|NAESSENT	hıbernaes**nt
	hisTRorum	HIS|TRIORUM	hıstrıorum
2	cernentes	CERNENTIS	cernente
	Extremae litterae videntur esse uid. *Versus terminatur in* omni|bus	OSEXERCITUSID CONCURSUOMNI|BUS	§. 2 *sq. videtur exhibere* du| os****cıtus ıd concursu
3	impetu (*in textu*)	IMPETU	inpetu (*in textu*)
4	ACIE	ACIAE	acıae
6	ingessit sed	INGESSIT|SED	ıngessıtsed
8	—	PROQUES|TORE	questore
	manliumquae	MANLIU¯|QẠEMIŠNI	manlıū|quae
	miṣnistrans	STRANS (litt. Š lineola perfossa)	mıšnıstrans
10	iuluridebant	INL̇ŪRIDEBANT (litt. L̇ lineola perfossa)	inl̇ūrıdebant
13	aeque amplius	AEQUAEAMPLIUS	aequae amplıus
XLII			
I, 1	popillius	POPILIUS	—
	prouincisexercitibus	PROUINCIS|EXŠERCITIBUS	(provincis *in textu*) exercıtus
2	dc	DC·	·dc·
	III (*in textu*)	·III·	tria (*in textu*)
	CC (*in textu*)	CC·	ducentos (*in textu*)
3	et·a·pedites	ET·A·PEDI|TES	et quingenti pedites (*in textu*)
	equitibus cc.	EQUITIBUS|C̅C̅·	equıtıbus c̅c̅
5	cu·	C̅N̅·	cn̄.
	crassiper	CRASSIPER	crassıpen

decerni mihi persuasissem, codicis locos meis ipsius perlustrare oculis volui. Quod adgressurus cum in bibliothecam Caesaream me contulissem, vix aperto codice in locum quendam incidi, qui prave exscribitur in editione Hertziana;

	Madvigius	Codex	Hertzius
7	constabat hic iratus praenestinis	CONS|TABATHIC IRATUSPRAENESTINIS	constabathıc-praenestınıs
	—	HONORIFICENEQUE (NE *in eraso*)	
8	soci	SOCI	socıı
11	faciunidum	FACIUNṪDUM (litt. T perfossa)	facıunidum
12	iussuuelut	IUSSUUEL|UT	ıusuuelut
XLIII			
I, 1.	cons̄ ȯmissus	CONS̄· ȮMISSUS	consȯmıssus
	oppugnajui	OPPUGNAJUI	oppugnaiuı
2	cap	ĊAṖ	ċap
3	reliq|rat	RELIQ·|RAT	relıq|rat
5	quıq.|rerentes	QUIQ·|RERENTES	quıq|ererentes
9	ceteras	CETERAS	exteras (*in textu; mendum codicis non notatur*)
11	cetegus	CETE|GUS	—
	p̄. m̄	P̄ M̄	P. (*in textu*) m
XLIIII			
I, 2	tr̄ mil.	TR̄· MIL·	
4	egressus (*in textu*) tinereterrestris	EGRESUSTI|NERETER-RESTRIS	ėgresustınere terrestrıs
7	primum	PRIMU—	primū
11	per quae (*in textu*)	PERQUE	perque
12	—	EX|EXERCITIBUS	exexercıtıbus
XLV			
I, 1	—	RO|MAİM (*litterula puncto notata etiam lineola perfossa est*)	romaim
	—	LA^E^TITIAM	*in* laetitiam *spscr.* e
4	qu|rere	Q·|RERE	q|rere
6	ali|tereditus	ALI|TEREDITUS	alıteredıtus
	a. d. ú x·(ix· ?) K octobrium	ADẎX·K· |OCTOBRIUM	V̇Xk·octobrıum
	—	SEṀ	sem̄
8	—	ITABELLIS	ıtabellıs
9	—	CAE|SUMQ̇ (Q *lineola perfossa*)	caesumq̇
	—	ĊREGEM	—
11	—	I^N^	*in* in *spscr.* n

quo permotus totum librum pervolvere lectionesque variantes adnotare coepi. Itaque exemplo usus Hertziano discrepantias quas deprehendi ab ea editione etiam minimas litteris mandavi. Quo modo cum a. 1875 mensibus Ianuario et Februario libros XLI—XLIII et libri XLIIII cc. 1—22 contulissem, magis magisque mihi persuadebam, multo utiliorem mihi futuram conlationem ita institutam, ut codicem integrum perpetua litterarum serie describerem; quare ab initio iterum rem adgressus totum exscripsi codicem, ita ut hodie quattuor fere librorum dupplicem conlationem, omnium vero eius decadis possideam exemplar codici simillimum, cui et lacunas codicis litterasque vel lineola perfossas vel expunctas puncto supra scripto et versuum paginarumque fines et locorum lectu difficilium accuratam imaginem post frequentem demum variisque solis luminibus institutam lectionem inserui. Quo codicis apographo, cuius aliquam esse fidem et diligentia qua in eo paranda usus sum non mediocri et temporis per quod codicem tractavi diuturnitas confirmare videntur, in posterum pro viribus, si deus volet, utar ad emendanda orationis Livianae verba.

Hanc in instituenda codicis conlatione industriam prorsus inutilem non fuisse, nonnullis liceat mihi demonstrare exemplis, quibus quanta sit rectius perspectae scripturae utilitas melius et maiore cum fide quam verborum adfirmatione perspiciatur.

Verba folii 71^{r} maximam partem, inprimis vero a linea XLII, 59, 2—3.
6 detriti Hertzius ita constituit: ..*turbaretur*.[...*gla*]*dîs hastas petere pedites* [....]*mque, nunc succidere crura equis, nunc ilia suffodere;* nec multo aliter Madvigius, qui post *turbaretur voculam ita* sibi legisse visus est, ubi litterarum elementa TRE:CS sat manifesta deprehendi et vestigia litterae P proxime insequentis; porro ante *mque* reliquias detexi litterae U, quare *equitumque* reponendum sit. Legam igitur: *Thraces p*[*ostea*] *gladîs hastas petere, pedites* **, [*equit*]*umque nunc succidere crura, equis nunc ilia suffodere.* Post *pedites* supplendum est verbum aliquod v. c. *occidere;*

ultimi enuntiati mutavi signa distinctionis; nam revera plus probabilitatis habet, equitibus potius quam equis crura esse succisa, cum *equis* multo facilius *ilia suffoderentur.* In §. proxima et Hertzius et Madvigius legunt: *Perseus in mediam invectus aciem Graecos primo impetu avertit; quibus cum gravis ab tergo instaret, hostis....* lacuna aliquot litterarum post *quibus* notata. Quam lectionem si probaverimus, *quibus* iungendum erit cum verbo *instaret.* Sed res aliter se habet. Post *quibus* enim conspiciuntur in codice reliquiae litterarum (|..IS), quae vocem detritam subesse FUSIS verisimile reddunt. Et profecto inserta hac vocula aptissime decurrit oratio: *quibus fusis cum gravis instaret hostis* (i. e. toti exercitui), *Thessalorum equitatus... inclinata re maximo usui fuit.*

XLIIII,14,10. In folii codicis 115ʳ l. 28 sqq. legitur:

28 TERIMINCLUSOINOPIAMINSULAM
29 INOPEMMISSC////////RITIMISIUUETUR
fol. 115ᵛ l. 1. COLENDIITAQUECOMMEATIBUSCUM

Ita hic versus (XLIIII, 14, 10) satis perspicue in codice legitur. Cum igitur habeamus enuntiati verbum *iuvetur*, facile intellegitur, quotquot adhuc adhibitae sunt huic versui medellae esse reiciendas. Quare neque cum editione Frobeniana priore legendum est: *mari intercluso inopia insulam premi amissis maritimis vectigalibus atque commeatibus*, neque cum Hertzio: *inopem insulam mess[ium ma]ritimis iuvari commerciis atque commeatibus*, neque cum Madvigio edente: *inopem insulam esse suam; maritimis vivere incolentes commeatibus. Itaque cum* . . . Nam verbum *iuvetur* necessario efflagitat particulam *nisi*, quam una cum verbo *esse* sub corruptela ista latere mihi quidem non improbabile videtur. Legam igitur: *Incultam* [1]) *insulam inopem esse, nisi maritimis iuvetur.... commeatibus.* Sed quidnam sibi vult mirum illud *colendiitaque?* — Errant, qui *itaque* ex *atque* depravatum esse putant; nam toto codice nusquam *atque*, sed *adque* legitur, si excipias tres locos, quorum duo inveniuntur in l. XLI, c. 28, ubi Livius

[1]) Huius emendationis probabilitatem infra probare conabor.

refert indicem tabulae in aede matris Matutae positae: *republica felicissume gesta* a t q u e *liberatis* [*socîs*], *vectigalibus restitutis exercitum salvom* a t q u e *incolumem plenissimum praeda domum reportavit* (XLI, 28, 9). Priore loco legitur forma alibi sollemnis huius particulae a d q u e; altero loco legitur a t q u e, sed ita ut adpareat, inusitatam hanc formam visam esse librario: SALUOMQATQ . IN| . . .[1]). Porro in enuntiato, quod proxime sequitur indicem eius tabulae (XLI, 28, 10): *Sardiniae insulae forma erat*, a t q u e *in ea simulacra pugnarum picta* sine dubio etiam in archetypo scriptum erat a t q u e; sed ex errore AUTQUE eam vocis formam nusquam alibi fuisse usitatam adparet. In f. 87ᵛ' 14; XLIII, 8, 6 denique ex prava eius qui verba dictabat pronuntiatione ex SOCI ADQUE factum est SOCIAT QUE (sic distinguitur in codice). Quae rei orthographicae observatio ad genuinam loci scripturam restitnendam non nihil valere videtur. Nempe si archetypus a t q u e exhibuisset, utique non ea forma, sed altera a d q u e ibi fuisset scripta; unde qui fieri potuerit *itaque* non video. Quare equidem negaverim latere sub corruptela vocem cum proximo *commeatibus* particula a t q u e iungendam; neque profecto ea vox quam Hertzius habet *commerciis* aut quam Grynaeus proposuit *vectigalibus* iuxta *commeatibus* quadrare videtur, cum maxime de frumenti inopia agi videatur. Magis mihi placet, si suppleatur vox, quae adnectatur iis, quae praecedunt, particula q u e.

Ad quam quaestionem expediendam non ab re fore putaverim conferre alterum locum l. XLV, 24, 12 pari modo depravatum, nisi quod quomodo sanandus ille sit inter omnes constat. Legitur enim in codicis fol. 170ʳ l. 7 sqq. **Confertur locus similiter corruptus l. XLV, 24, 12.**

CORPORINOSTROCONDITIQUEAC
LIBRORUMUESTRAPOTESTATEPERMIT
TEİMUS[2]) . . . ;

[1]) L i t t e r u l a e, q u a s p u n c t o i n f r a l i n e a m p o s i t o n o t a m u s, i n c o d i c e l i n e o l a p e r f o s s a e s u n t.

[2]) Litterulam I in codice et puncto notatam et lineola perfossam Hertzius puncto tantum insignivit; Madvigius ne verbo quidem hanc vocem in adnotatione critica commemorat, perinde ac si in codice *permittemus* sine ulla correctione legatur.

qui locus ita restituendus est: *corpora nostra coniugumque ac liberorum vestrae potestati permittemus.* Inquiramus iam, id quod quantum scio nemo adhuc fecit, quanam ratione ex

De terminationum compendiis. *coniugumque* fieri potuerit *conditique.* Atque mihi consideranti permultas illas corruptelas, quibus ultimae praesertim vocabulorum syllabae laborant[1]), neque ortas esse forte fortuna omnes neque librario tribuendas archetypi scripturam temere atque inscite tractanti mihi persuasi. Explicandi viam monstrare mihi videntur nonnulla compendia scripturae in ipso codice obvia, quibus nominum terminationes us, e, e s, i b u s, u b u s, o s puncto (·) tantum indicantur[2]).

---

[1]) Cf. quas in codicis tribus paginis fol. 163^r, 163^v, 164^r deprehendi terminationes nominibus prave adscriptas:

as = a: INEASUICTORIASQUAM (163^r lin. 5; XLV, 19, 3)
o = a: ALTERȮA (163^r 6; ib.)
que = ci: GAL|LIQUE (163^r 6—7; ib.)
ae = a: QUAE (163^r 8; ib.)
EIUS = ei: (163^r 11; ib. 4)
e = ae: QUE (163^r 20, ib. 6)
e = i: ILLE (163^r 24; ib.)
ei = es: SPEI (163^r 26; ib. 7)
is = o: ANIMIS (163^r 28; ib.)
us = or: MONITUSQUE (163^v 4; ib. 8)
us = is: NULLUS (163^v 11; ib. 10)
e = i: IPSE (164^r 4; ib. 13)
e = ae: QUE (164^r 7; ib. 14)
us = os: INFIRMUS (164^r 14; ib. 15)
um = us: TRADI|TUM (164^r 20—21; ib. 16)
em = um: FRATREM (164^r 21; ib.)
as = a: FRATERNAS (164^r 23; ib.)
i = ibus: EXI|GENTI (164^r 25—26; ib.)
is = i: ILLISAMICIS (164^r 28; ib. 17).

[2]) Exemplorum, quae passim inveniuntur, nonnulla adferam: OBSIDIB· (fol. 3^r lin. 1; XLI, 11, 9); DIEB· (70^r 3; XLII, 58, 3); CENSORIB· (92^r 8; XLIII, 14, 1); PRINCIPIB·|QUE (109^v 13; XLIIII, 9, 1); MA|CEDONIB·Q· = *macedonibusque* (192^r 22; XLV, 44, 5); HENOBARB· = *Ahenobarbus* (118^v 5; XLIIII, 18, 6); ID· APRIL· = *idus apriles* (119^r 3; XLIIII, 19, 4); TEMP· = *Tempe* (107^r 4; XLIIII, 6, 5; 108^r 4; ib. 7, 1); EQUIT· = *equitibus* (70^v 19; XLII, 58, 13); TRIB· = *tribubus* (160^r 15; XLV, 15, 4); ANN· = *annos* (188^v 11; XLV, 40, 7). URB· = *urbanus* (24^v 29; XLII, 6, 10); HOS·

Ea terminationum compendia archetypo quoque vindicantur et his ipsis compendiis in codice conservatis, quorum certe nonnulla ex illo manasse, praesertim quae in mediis versibus inveniuntur, multam habet probabilitatem, et correctionibus scripturae, quibus librarius innumeris locis terminationem

---

= *hostico* (113ʳ 29; XLIIII, 13, 1); CONS· = *consularis* (142ʳ 11; XLIIII, 41, 2). Quibus addere liceat pauca exempla ex Gai codice Veronensi incomparabili diligentia a G. Studemundio descripto petita (*Gai institutionum commentarii quattuor* Lipsiae. 1874): IUDIC· (= *iudicem* p. 193 l. 8); UINDIC· (= *vindicem* p. 197 l. 5); LIBEROR'UEL-HOC (= *liberorum vel hoc*) pro LIBEROR'UELOC' (= *liberorumve loco* p. 15, l. 20); CAS· (= *casu* p. 20, l. 16); PATR· (= *patris* p. 88, l. 13); FORMUL· (= *formulam* p. 235, 9); LEG· (= *legis*, *leges*, *legum* p. 275); — R· (= – *rum* p. 299); POTESTAT· (= *potestate* p. 80, 5). Quantum vero archetypi Gaiani compendia ad apographi Veronensis errores et perspiciendos et sanandos valerent, levioribus exemplis in locupletissimo notarum indice Studemundius docuit, uno graviorum corruptelarum exemplo in calce p. 312 tractato. Eius vero generis corruptelarum, quae ex male intellectis archetypi compendiis ortae essent complura exempla congessit vir doctissimus B. J. Polenaarius, cuius dissertatiuncula *Ad Gai institutionum Codicem Veronensem* ephemeridi, cui inscribitur *Mnemosyne*, vol. IV. p. I. (Lugduni Batavorum 1876 p. 113 sqq.) inserta, cum quae de simili Liviani archetypi condicione opinatus essem, iam litteris mandassem, ad tempus adlata est. Sic e. g. p. 114 scripturam codicis Veronensis ARGUMENTUM (i. e. ARG^{um}ENTUM) librarii, qui compendium in voce ARGENTUM adesse putabat, ortam esse contendit; item p. 118 scripturam SOCIET·IS = SOCIET^{at}IS archetypo vindicat (de quo compendiorum genere paulo infra agetur), ut nihil dicam de terminationibus passim suppressis etiam in particulis; cf. *n̄* = *non*; *āp.* = *aput* (p. 117), quod compendium in cod. Vindob. quoque legitur (ĀP.) f. 184ᵛ 8 (XLV, 37, 11); *tresscripticiis* pro *transscripticiis* (p. 114 ex cod. p. 163, 12), cum quo loco cf. in cod. Vind. f. 190ᵛ 17 (XLV, 42, 11) TRANSNOMINATI = TRESNOMINATI, qui utriusque codicis errores explicantur ex eodem compendio TR = TRANS vel TRES; *s'* = *sed* (p. 118), quod compendium etiam Vindobonensis librario vel ei, qui apographum prius ex archetypo confecerat, non ignotum fuerit oportet, cum inveniamus MISITSED pro MISISSET in f. 158ᵛ 21 (XLV, 13, 13), quod explicatur ex archetypi scriptura MISS^{9} = M^{is}ISS^{9}, sub quo compendio non unam vocem, sed duas (MIS· = MIS^{it}; S^{9} = S^{ed}) latere putaverit librarius. Gaiani igitur libri con-

iam litteris exaratam delevit atque alteram adscripsit [1]) et mendis apertis, quae nisi ex compendio scripturae in

---

dicionem perspectam uberrimisque exemplis inlustratam cum maximi momenti esse ad crisin recte factitandam luce clarius adpareat, non nihil etiam ad Liviani codicis tractandi rationem inde redundare, quicumque compendiorum usum frequentem exemplis, quae partim protulimus, partim proferemus, perspexerint libentissime concedent.

[1]) Cf. p. 60 not. 1. — Conferri possunt, quae eiusdem generis menda inveniuntur in Liviano codice rescripto Veronensi (*T. Livii ab urbe condita lib III—VI quae supersunt in codice rescripto Veronensi descripsit et edidit Th. Mommsen. Berolini. 1868.*), quorum tria adferam exempla: CERTAMI|NE = CERTAMINUM (p. 84, LII q. XXII. fol. 5^v lin. 5—6; lib. IIII, 13, 4); PROELIȮA (p. 96, LXIIII q. XXIII f. 6^v 29; IIII, 27, 4); CENTURIONIS = CENTURIONEM (p. 98, LXVI q. XXIIII f. 4^v 2; IIII, 34, 4). Hnc faciunt eae quoque codicis Vindobonensis corruptelae, quae duas terminationes nominibus quibusdam additas ostendunt; cf. f. 175^r 6—7 (XLV, 29, 1) MACE-DONI|SUM, quod ita enatum est: MACEDON·, MACEDONIS, MACE$\overset{\text{UM}}{\text{DONIS}}$, MACEDONISUM; f. 40^r 12 (XLII, 25, 12) AMICITIAAME ortum ex AMICITI·, AMICITIA, $\overset{\text{AM}}{\text{AMICITIA}}$, AMICITIAAME; f. 139^r 8 (XLIIII, 37, 12) $\overset{\text{U.}}{\text{SIGNASM}}$; 187^r 23—24 (XLV, 39, 13) AUC|TORESERUNTUIOGALBA; in archetypo scriptum erat AUCTORESER·-GALBA (i. e. *auctore Servio Galba*), quod compendium librarius quidam S litteram voci AUCTORE adnectens ita explevit: AUCTORESERUNTGALBA. Quam corruptelam perspiciens alius quidam librarius correxit scriptis supra UNT litteris UIO (AUCTORESER$\overset{\text{UIO}}{\text{UNT}}$GALBA), unde eius qui exemplar descripsit inscitia ortum est mendum codicis. Eodem modo FERME, quod in cod. f. 193^r l. 24 (XLV, 44, 18) pro FERUNT legitur, ortum est ex compendio FER· Cf. praeter innumera eius generis exempla, quae inveniuntur in Gai instit. (cf. l. c. p. 290 — R· = —*runt*) alia 17 deprompta ex tabula Mariniana XLI. (Gaetano Marini, *Atti e monumenti de' fratelli Arvali.* Roma 1795.), quae 32 versibus continetur (apud G. Wilmannsium: *Exempla Inscriptionum Latinarum* T. II Berolini 1873. p. 291 sqq. num. 2878 et 2879): *contiger*, *conseder* (bis), *sumser*, *discubuer* (bis), *acceper* (bis), *diviser*, *dixer*, *inspexer*, *fecer* (bis), *restiter*, *tradider*, *intraver*, *introier*, in quibus omnibus terminatio *unt* supplenda est. Denique conferri possunt eae voces, in quarum per errorem repetitarum terminationibus exarandis sibi non constitit librarius; cf. quae paulo infra ad XLII, 1, 7 exponemus.

archetypo adhibito nasci non potuisse quisque facile videt [1]). Qua sententia probata id nacti sumus, ut pro CONIUGUMQUE scribi potuisse CONIUG · QUE [2]) intellegamus.

Sed dubium esse nequit, quin in mediis quoque vocibus archetypi librarius scripturae compendiis usus sit. Exstant enim in codice exempla non pauca compendiorum, quae librarius non additis quae addendae erant litteris immutata descripsit. E. g. [3]) De compendiis scripturae in mediis vocibus adhibitis.

OPPUGNANT	= OPPUGN^{ar}ANT	fol.	2^{r} l. 28;	XLI,	11,	1
IUSSE	= IUSS^{iss}E		5^{r} 20;	„	15,	2
APPENNUM	= APENN^{in}UM [4])		9^{r} 1;	„	19,	1
EXPUGNARI	= EXPUGNA^{tu}RI		9^{v} 26;	„	19,	10

[1]) Cf. fol. 160^{r} lin. 20—21; XLV, 15, 5 ubi pro *ut ex IIII urbanis tribubus unam* in codice legitur UTEX·IIII·UR|BANISTRIBUNAM; unde adparet in archetypo compendium scripturae adfuisse, quod librarius neglexit, quia fortasse signum compendii (·) aut deerat ab initio aut evanuerat; cf. quoque quae id genus infra explicantur exempla. — Contra alia inveniuntur exempla, ex quibus librarium fortasse puncto per errorem in archetypo adpicto seductum terminationes adiecisse videmus iis etiam vocibus, quae aut omnino integrae erant aut quibus certe terminatio legitima non deerat; cf. f. 76^{v} 7 (XLII, 64, 7) CASTRAMOUENTIBUS = *castra movent*; 160^{v} 23 (XLV, 16, 2) ubi archetypus vocem DONEC compendiose scriptam exhibebat DEC (de quo compendiorum genere in iis quae secuntur agemus); librarius formam adesse ratus, cuius syllaba postrema deesset (cf. cod. Veron. rescripti Liviani p. 64, XXXII q. XVIIII f. 7^{v} 12; lib. III, 57, 5, ubi PROUOC/ scribitur pro PROUOCET; porro in Gai instit. comm. p. 2 l. 22 LIC· = LICET; p. 163 l. 19 SCILIC· = SCILICET), scripsit DECET, quod nunc in codice legitur.

[2]) Cf. exempla in p. 60 n. 1 et p. 62 n. 1 adlata, quibus praeterea addi possunt fere innumera deprompta ex inscriptionibus, quorum nonnulla tantum ex tabula Mariniana (cf. l. c.) adferam ita quidem, ut syllabas suppressas uncis includam: *fratr(um), senator(um), bellarior(um), sacr(um).*

[3]) De his rebus palaeographicis cum in posterum aliquando uberius agere in animo sit, hoc loco non omnia, quae sane plurima sunt, sed luculentissima tantum adferam exempla.

[4]) Cf. quod ab O. Ribbeckio (*Prolegomena critica ad P. Vergili Maronis opera maiora.* Lipsiae. 1866. p. 263) ex codice P(alatino) adfertur similis compendii exemplum: DISCRIME = DISCRIM^{in}E Aen. XII, 498; porro ex Gai inst. p. 163, 9 NOME = NOM^{in}E.

PRAEDIO	= PRAE^{si}DIO	9^{v} 29;	XLI,	19, 11
INSEANE	= INSAN^{ir}E	10^{r} 16;	„	20, 4
CAPITOLI	= CAPITOL^{in}I	10^{v} 8;	„	20, 9
HONUM	= HO^{mi}NUM [1]	11^{r} 20;	„	21, 5
INPLI|BANTUR	= INPLI^{ca}BANTUR	11^{r} 23-24;	„	21, 5
RECIPI|ENDUM	= RECIPIEND^{or}UM	13^{v} 6—7;	„	23, 8
DE|TRIUM	= D^{em}ETRIUM	13^{v} 17-18;	„	23, 10
UIS	= U^{ob}IS	14^{r} 14;	„	23, 14
ONERANT	= ONER^{ar}ANT	23^{v} 27;	XLII,	5, 9
PRAETORUM	= PRAET^{erit}ORUM [2]	24^{r} 12;	„	5, 11
DIDERUNT	= D^{ed}IDERUNT [3]	25^{v} 25;	„	8, 1
UE¯|DIT	= UEND^{id}IT	26^{r} 1—2;	„	8, 3
UA	= U^{is}A [4]	26^{v} 28;	„	9, 7
CO¯|DIT	= CON^{fu}DIT	30^{v} 14-15;	„	13, 9
TUM	= T^{ut}UM	30^{v} 25;	„	13, 11
EUME¯| [5]	= EUM^{en}EN	32^{r} 16;	„	15, 4
HOSTIO	= HOS^{pi}TIO	34^{r} 1;	„	17, 5
MACONCUM	= MAC^{ed}ON[I]CUM	34^{v} 18;	„	18, 6
ARIATIS	= ARI^{ar}AT[H]IS	35^{r} 16;	„	19, 3
UICTIS	= UICT^{im}IS [6]	35^{v} 26;	„	20, 3

[1]) Cf. FRETV = FRE^{mi}TV Aen. V, 148, quod ex schedis Vaicanis (F) depromptum legitur apud Ribbeckium l. c. p. 262.

[2]) Cf. PRAETINENTENS = PRAET^{erit}INGENS Aen. V, 156 ex F apud Ribb. l. c. p. 262.

[3]) Cf. CERRIMA = C^{el}ERRIMA Aen. XII, 507 ex V (schedis Veronensibus) apud Ribb. l. c. p. 263.

[4]) Cf. Ribb. qui l. c. p. 263 ex codice Vaticano (R) exscripsit MV = M^{an}V Aen. XI, 676.

[5]) Sic scribitur, non ut Muellerus putat (cf. *Beiträge zur Kritik und Erklärung des Livius.* Stendal 1871. p. 11 n. 12) *Eumem*: cf. 33^{r} 27; XLII, 16, 9); 39^{v} 9—10 (XLII, 25, 5); f. 193^{v} 12; (XLV, 44, 21); denique praeter ceteros locos f. 46^{r} 4 (XLII, 32, 2) EUMENİEN, quod librarius conflavit ex EUMNE.

[6]) In cod. f. 35^{v} 26—27 legitur: UICTISSI|MUS, quod mendum quin non uni, sed pluribus tribuendum sit librariis dubium esse nequit; videtur autem hoc modo esse ortum. Scriptura archetypi UICTIS (= UICT^{im}IS) expleta est a librario recentiore supra scriptis quae supplendae erant litteris: UICT^{IM}IS. Qui postea confecit apographum, syllabam istam pravo loco inseruit atque adiecto puncto scripsit UICTISIM·, ex qua forma codicis Vindobonensis scriptura explicatur. Librarius enim non unam, sed duas voces easque scriptas per com-

REBELLIUM	= REBELL^{and}UM	36^{v} 4;	XLII, 21, 3
CONTIO|NES	= CONT^{ent}IONES [1]	37^{v} 12—13;	„ 23, 1
MA|SISSE	= MAS^{in}ISS[A]E	39^{r} 2—3;	„ 24, 7
AUDENT	= AUD^{iss}ENT [2]	39^{r} 23;	„ 25, 2
SPECULARI	= SPECULA^{tu}RI	39^{v} 22;	„ 25, 8
REM	= R^{eg}EM [3]	40^{v} 23;	„ 26, 6
LIBERTI	= LIBERT^{in}I.	41^{r} 28;	„ 27, 3
FORET	= FO^{ue}RET	43^{v} 26;	„ 29, 11
FOEDERIS	= FOEDER^{at}IS [4]	54^{v} 24;	„ 41, 14
PRO|PRIAM	= R^{eg}IAM	57^{r} 2—3;	„ 44, 1
DE|FENDUM	= DEFEND^{end}UM	57^{r} 15-16;	„ 44, 4
LE|TI	= LE^{ga}TI	57^{r} 27—28;	„ 44, 5
ADPROBAT	= ADPROBA^{ba}T	59^{v} 18;	„ 47, 4
IN|DICE	= INDIC^{er}E [5]	59^{v} 26-27;	„ 47, 5
ITA	= IT^{al}[I]A [6]	60^{v} 16;	„ 48, 3

---

pendia (UICTI et SIM·) adesse ratus expletis compendiis ficticiis conflavit UICTIS SIMUS, Cf. 15^{v} 9—10 (XLI, 24, 11) ubi compendiosam archetypi scripturam SIM·TATES (= SIM^{ul}TATES) pari modo explevit SIMUS|TATES.

[1]) Cf. cod. Liv. Veron. rescr. (l. c. p. 93) XLI q. XXIII f. 5^{r} 3—4 lib. IIII, 25, 1 CO~|TENTIONIB· = CONTIONIB·, quo errore eius quoque codicis librario compendium CONT^{ent}IO notum fuisse confirmatur.

[2]) Ex eodem compendii genere explicatur mendum codicis Veronensis rescripti postea correctum (l. c. p. 124) XCII q. XXVIIII f. 6^{v} 4; lib. V, 28, 1 REDIRET (SS supra scriptum; litterula R posterior lineola perfossa est; quod in archetypo invenerat librarius REDET et RED^{ir}ET et RED^{iss}ET legi potuisse errore commisso atque correcto testatus est.

[3]) Cf. Gai inst. p. 52 l. 3 LE = L^{eg}E.

[4]) Cf. cod. Ver. l. c. p. 61, XXVIIII q. XVIIII f. 2^{r} 3; III, 51, 1) LEGIS = LEG^{at}IS.; cf. CONCITA = CONCITA^{at}A in cod. Veron. l. c. p. 59, XXVII q. XVIII f. 5^{r} 12; III, 44, 8.

[5]) Cf. apud Ribbeckium (l. c. p. 262) exemplum depromptum ex *F*: CINGE = CING^{er}E Aen. IX, 160; porro ad idem compendium scripturae referendus est error codicis Liv. Veron. rescripti (l. c. p. 68) XXXVI q. XX f. 3^{v} l. 6 — 7; lib. III, 63, 3 LAUDE|RE, quem ortum esse ex compendio LAUD^{ar}E fere manifestum est.

[6]) Sic putaverim conlatis reliquis compendiis scriptum fuisse in archetypo; librarium vero, cum de ITALIA non cogitaret, scripturam mutasse in vocem tritissimam ITA.

CEPALIAM	= CEP[H]AL[L]^{an}IAM [1])	60^{v} 28;	XLII,	48, 6
CE|PALIAM		61^{r} 10-11;	„	48, 8
CERUIBUS	= CERU^{ic}IBUS	62^{v} 1;	„	50, 6
TER|RUM	= TERR^{ar}UM [2])	62^{v} 19-20;	„	50, 9
AETOLUM	= AETOL^{or}UM	63^{v} 21;	„	51, 9
NOBIS	= NOB^{il}IS [3])	65^{r} 26;	„	52, 16
CLAUDE	= CLAUD^{er}E	66^{r} 14;	„	54, 1
CONUEROS	= CONUER^{su}[R]OS [4])	69^{v} 20;	„	57, 12
ASSURIUM	= AD S^{uc}URIUM	74^{v} 14;	„	62, 15
ASSYRIUM		76^{r} 5;	„	64, 1
FAS	= FA^{ce}S [5])	76^{r} 14;	„	64, 3
INCONSTE	= INCONS^{ul}T[A]E [6])	76^{r} 23;	„	64, 5
LONGINTATE	= LONGIN^{qui}TATE[M]	76^{v} 8;	„	64, 7
PROPTEREOS	= PROP^{el}LERE [E]OS [7])	77^{v} 4;	„	65, 8
ANUM	= AN^{nu}UM	79^{r} 29;	„	67, 5

[1]) Cf. Gai inst. l. c. p. 170, 11—12 M̄·|DATUM = M^{an}DATUM.

[2]) Cum in codice pro *liberet orbem terrarum* legatur: LIBERARTOR-BEMTER|RUM, inde sequitur scripturam TER|RUM archetypi compendium esse a librario accurate descriptum, non vero mendum ortum incuria transeuntis ad exarandam proximam lineam. Nam ex mendo LIBERAṘT recte concludemus litteras AR in voce TERRUM omissas adpictas fuisse in margine et a librario verbo LIBERET inepte insertas, ita ut scribere inciperet LIBERARET; verum antequam perscriberet eam vocem mutata sententia praeferendam esse ratus formam LIBERAT litteram R expunxit. — An fortasse littera T vocis LIBERET initio neglecta eum ut in compendium LIBERE litteris AR in margine adscriptis explendum (LIBER^{ar}E) incideret permovit?

[3]) Cf. exemplum similis compendii apud Ribb. (l. c. p. 262) *F*: MIRABE = MIRAB^{il}E Aen. VIII, 81.

[4]) Cum compendia reliqua vel duas litteras (i. e. alteram vocalem, alteram consonam vel duas consonas) vel tres (i. e. primam vocalem, quam duae secuntur consonae velut *ell*, *enn*, *ent*, *end*, *ens*...) comprehendant, librarium, quem compendium subesse fugeret, alteram litteram R neglexisse credere malim quam omissas fuisse litteras vel SUR vel RSV.

[5]) Cf. TAREM = TA^{ce}REM in cod. Ver. l. c. p. 140, CVIII q. XXXI f. 7^{r} 1—2; V, 51, 2 (QUIESCERĒ|ACTAREM.)

[6]) Cf. Gai inst. l. c. p. 187 l. ŪNERATUS = U^{ul}NERATUS.

[7]) Littera L (PROPLERE) a librario mutata saepius est in T; cf. infra PHALANOM = PHANOTAM. Exemplum similis compendii cf. in Gai inst. p. 162, l. 19 ŪTI = U^{ul}UTI.

HABENT	=	HAB^{er}ENT	79^{v} 17;	XLII,	67, 8
CONPLERE	=	CONP^{el}LERE	80^{v} 9;	XLIII,	1, 3
MADONIAM	=	MA^{ce}DONIAM	80^{v} 16;	„	1, 4
MANUMISSENT	=	MANUM^{is}ISSENT	82^{v} 7;	„	3, 3
DUCES	=	C^{aed}ES	84^{r} 27;	„	5, 4
ARENT	=	AR^{ar}ENT	85^{r} 12;	„	6, 3
COMMEMORAUE	=	COMMEMORAU^{er}E	85^{r} 22;	„	6, 5
MICION	=	MIC^{yt}[H]ION	86^{v} 6;	„	7, 5
MICIONI	=	MIC^{yt}[H]IONI	87^{v} 26;	„	8, 8
CONPA|RE	=	CONPAR^{ar}E	90^{v} 7—8;	„	12, 1
REGIO	=	RE^{li}GIO [1])	91^{v} 1;	„	12, 2
DICENDO	=	DIC^{ent}E [2])	94^{r} 27;	„	16, 8
CUS|DIAM	=	CUS^{to}DIAM	98^{r} 6—7;	„	19, 12
AMI|TIAM	=	AM^{ic}ITIAM [3])	98^{v} 27-28;	„	21, 2
AUCTORI|TE	=	AUCTORIT^{at}E	99^{v} 22-23;	„	22, 3
CEN|SURI	=	S^{ens}URI	100^{r} 26-27;	„	22, 10
TRAIECTUS	=	TRAIECT^{ur}US	102^{r} 6;	XLIIII,	1, 1
INEXISSET	=	IN^{sp}EXISSET	102^{v} 3;	„	1, 6
ORAM	=	O^{pe}RAM	103^{r} 6;	„	2, 3
TEBATUR	=	T^{en}EBATUR	104^{r} 18;	„	3, 6
INERRABI|LIS	=	INE^{na}RRABILIS	105^{v} 8—9;	„	5, 1
MARIAE	=	MA^{te}RIAE	107^{v} 23;	„	6, 16
PERUICTAM|QUAM	=	PRO^{mo}UIT TAMQUAM	110^{v} 13-14;	„	9, 10
PROGRESSUS	=	PROGRESS^{ur}US	110^{v} 15;	„	9, 10
PUGNAE STATIUAE	=	PUGNA EST ADIU[U]^{er}E	111^{v} 12;	„	10, 11
FERTISSIMUS	=	FERT^{il}ISSIMUS	111^{v} 19;	„	10, 12
DEPRAETOREM	=	DEPRAE^{ca}TOREM [4])	115^{r} 12;	„	14, 7
COMMORATIS	=	COMM^{em}ORATIS	115^{r} 17;	„	14, 8
EST	=	ES^{se}T	118^{r} 15;	„	15, 2

---

[1]) Cf. cod. Liv. Veron. (l. c. p. 64) XXXII q. XVIIII f. 7^{v} l. 7; lib. III, 57, 7 REGIONES = RE^{li}GIONES.

[2]) Librarius compendium in fine vocis suspicatus est adesse.

[3]) Cf. BELLI = BELL^{ic}I in cod. Liv. Veron. (l. c. p. 151) CXVIIII q. XXXII f. 8^{r} l. 18; lib. VI, 6, 6.

[4]) Sic vox haec plerumque scribitur.

DELITA||RI	= DE^{bi}LITARI	121^{v} 29-122^{r} 1;	XLIIII,	22,	7
CONUIS	= CONU^{iu}IS	122^{r} 2;	„	22,	8
MA|CEM	= MACE^{donia}M [1])	122^{r} 3—4;	„	22,	8
ADMOUETUR	= ADMOU^{er}ETUR [2])	124^{v} 23;	„	25,	3
MOUE	= MOU^{er}E	125^{v} 3;	„	25,	12
INICUM	= IN^{im}ICUM	125^{v} 8;	„	26,	1
TRIUM	= TRI^{du}UM	129^{r} 5;	„	28,	16
NARALI	= NA^{tu}RALI	131^{r} 23;	„	31,	6
PRAECIPES	= PRAECIP^{it}ES	135^{r} 18;	„	35,	12
CUMALIIS|IRENT =	CUM ALII SI^{le}RENT	137^{v} 5—6;	„	36,	9
EXPIE¯|DO	= EXP^{er}IENDO	142^{r} 19-20;	„	41,	4
HOSPITE	= S^{os}PITE	144^{r} 26;	„	44,	3
CITATES	= C^{iu}ITATES	146^{r} 9;	„	46,	1
NAUIBUS	= NAU^{al}IBUS	148^{v} 5;	XLV,	2,	10
LE|GIONEM	= LEG^{at}IONEM	149^{r} 26-27;	„	3,	8
TAE	= T^{ant}AE [3])	159^{r} 11;	„	13,	17
COMITIIS	= COMIT^{ib}US [4])	159^{v} 16;	„	14,	7

1) In hac lacuna librarii incuriam quisque facile perspiciet.

2) Vera huius compendii exempla suppeditat codex Vergilianus *P*: NVMIS = NVM^{er}IS Aen. VI, 646; CONCVRRITVR = CONCVRR^{er}IT Aen. VII, 224; cf. Ribb. l. c. p. 263.

3) Integrum enuntiatum est: *tantae eam rem laetitiae patri suo esse;* librarius in vocibus TAEEAMREM|.... non compendium, sed corruptelam subesse ratus priorem E mutavit in C, id quod persaepe fecit, atque ita natum est codicis quod hodie legitur mendum TACEAMREM.

4) Plurima adsunt indicia, quibus verisimile fit archetypi litteras I, L, T a lineola recta (**I**) non multum discrepasse, porro litteras U et N duarum (**II**), litteram M trium lineolarum (**III**) speciem praebuisse. Ita enim ut statuamus his mendis cogimur: 41^{r} 13 (XLII, 26, 9) LACTARI=IACTARI; 72^{r} 26 (XLII, 61, 2) INSICILIA=INSIGNIA; 114^{r} 6—7 (XLIII, 13, 7) NOTISI|NE=NONSINE; 141^{r} 4—5 (XLIIII, 39, 8) ADORIA¯|TUR = ADORIANTUR = ADORIAMUR; 161^{v} 9 (XLV, 17, 2) CULPMI = C[ONS]UL[ARES]IIII; 162^{v} 16 (XLV, 18, 7) UISUM = UT SU[U]M; 167^{r} 19 (XLV, 23, 1) FORUMA = FORTUNA; 174^{v} 13 (XLV, 28, 9) IDDIEUTEREST = ID DIEI ITER EST. Eodem modo et error, in quo explicando versamur, et qui proxime sequitur (GLADIIS), enatus est; dubia enim ista litterulae U forma, ut duas litteras I legeret, permotus compendiis scripturae COMIT^{ib}US, CLAD^{ib}US neglectis nihil supplendum esse censebat, cum voces integras COMITIIS, GLADIIS legere sibi videretur. — Quod ad ipsum compendium adtinet, conferendum est simile exemplum, quod Ribbeckius (l. c. p. 262) adfert ex *F*: CVLMINVS = CVLMIN^{ib}VS Aen. IIII, 462.

PLUS	= PLU^{re}S	160^{v} 2;	XLV,	15,	8
DEC	= D^{on}EC [1]	160^{v} 23;	„	16,	2
INPRO|BUM	= INPROB^{at}UM	162^{v} 11-12;	„	18,	6
GLA|DIIS	= CLAD^{ib}US	163^{r} 7—8;	„	19,	3
PENDISSENT	= P^{ep}ENDISSENT	172^{v} 15;	„	26,	14
NOBILITA	= NOBILIT^{at}A	173^{r} 12;	„	27,	5
SORDIDA	= SORDID^{at}A	174^{r} 26;	„	28,	6
EST	= ES^{se}T	174^{v} 19;	„	28,	10
REPENTIBUS	= REPE^{te}NTIBUS	176^{r} 9;	„	29,	12
PROPRIETAS	= PROPRIETA^{te}S [2]	176^{v} 8—9;	„	30,	3
APTIUMALETUR	=*P^{ar}TIUMAL^{er}ETUR [3]	177^{v} 23;	„	31,	8
EX|DERE	= EX^{ce}DERE	179^{r} 5—6;	„	32,	6
DEBUISSENT	= E^{ru}BUISSENT	182^{r} 9;	„	35,	5
EST	= ES^{se}T	183^{v} 23;	„	37,	3
DICIT	= D^{id}ICIT	187^{v} 7;	„	39,	16
SUFFRA|GI	= REFRAG^{at}I	188^{r} 28—29;	„	40,	5
LUSTRI	= LUSTR^{and}I[S]	189^{r} 7;	„	41,	3
PERI|LA	= PERI^{cu}LA	189^{r} 28—29;	„	41,	7
LOCLS|ESSE	= LOCU^{tu}S ESSE[T]	190^{r} 3—4;	„	42,	1
OPTATO	= PO^{pu}LATO [4]	191^{v} 22;	„	44,	1
CONCU|Q·	= CONC^{urs}UQUE	192^{r} 16-17;	„	44,	5
SUMMISSE	= SUMM^{is}ISSE	193^{v} 4;	„	44,	20

Ex quibus 121 exemplis cum 28, vel potius 16 tantum, si quis id malit, incuria librarii ad proximum versum transeuntis explicari possint, reliqua utpote multo plura non solum usum compendiorum archetypo vindicant talem, quo duae vel tres litterae omitterentur, verum etiam illa exempla, quae duarum linearum confinia occupant, simili modo explicanda esse probabile reddunt; nam quis

[1]) De corruptela DECET ex compendio DEC orta cf. p. 63 n. 1.

[2]) Contra librarius codicis Liviani Veronensis ex ANTIAS (l. c. p. 90, LVIII q. XXXIII f. 3^{v} 30, IIII, 23, 2), syllabam TE suppressam esse ratus fecit ANTIATES.

[3]) Cf. PTORE = P^{ec}TORE Aen. XII, 950 ex codice *M*(ediceo) adlatum ab Ribbeckio l. c. p. 263. — Cum AL^{er}ETUR cf. Gai inst. l. c. p. 224 l. 14 FUINT = FU^{er}INT et passim FUIT = FU^{er}IT (cf. p. 269).

[4]) Librarius vocis compendiose scriptae litteras et transposuit (OP pro PO) et mutavit (T pro L).

librarium neglegentem toties eodem modo, ut binas litterulas omitteret, aberrasse credet?

Correctiones ex compendiosa archetypi scriptura explicandae.

Quae sententia confirmatur eo, quod librarius nonnumquam, cum iam coepisset formam exarare scriptam per compendium, deletis litteris praepropere scriptis vocem plene exscripsit, velut

MISNISTRANS	=	MI^{ni}STRANS	1^v 27;	XLI,	10, 8
ESTSET	=	ES^{se}T	6^r 16;	„	16, 2
BA^{s}RTARNARUM	=	B^{ast}ARNARUM	9^v 29;	„	19, 11
GERERUENTUR	=	GERER^{ent}UR	23^r 7;	XLII,	4, 5
ORNDINIB·	=	OR^{di}NIB·	24^v 25;	„	6, 9
PERIENNI	=	PER^{enn}I	29^v 29;	„	12, 10
OCCURSUMRUM	=	OCCURSU^{ru}M[1]	30^v 24;	„	13, 10
CRIMINANTUIBUS	=	CRIMINANT^{ib}US	38^v 18;	„	24, 4
DEPENTDENTEM	=	DEP^{end}ENTEM[2]	42^v 25;	„	28, 12
AETEATEM	=	AET^{at}EM	47^r 25;	„	34, 3
MADCEDONIAM	=	MA^{ce}DONIAM	47^v 6;	„	34, 5
REAGIAM	=	RE^{gi}AM	54^v 10;	„	41, 12
LEGATISONES	=	LEGATI^{on}ES[3]	65^v 10;	„	53, 2
HONMINIS	=	HO^{mi}NIS	73^v 26;	„	62, 4
PACAMTUM	=	PACA^{tu}M	84^r 24;	XLIII,	5, 4
PHALAERATI	=	PHAL^{er}ATI	84^v 22;	„	5, 8
LAMSEACENI	=	LAM[P]S^{ac}ENI	85^v 1;	„	6, 7
HOSTIULIUM	=	HOST^{il}IUM	85^v 19;	„	6, 10
NECLEGIAENTIA	=	NECLEG^{ent}IA	91^r 24;	„	13, 1
NU¯|TIATBAT	=	NUNTIA^{ba}T	91^v 23-24;	„	13, 6
IUSSOUROS	=	IUSS^{ur}OS	92^v 28;	„	14, 9

[1]) Cf. simile compendium in cod. Liv. Veron. rescripti (l. c. p. 94) LXII q. XXIII f. 5^v l. 17; lib. IIII, 25, 14 INCLINATUM = INCLINATU^{ru}M.

[2]) Cf. exemplum a Ribbeckio (l. c. p. 263) ex cod. Vaticano (*R*) adlatum: PENT = P^{end}ENT Aen. VI, 167.

[3]) Qui librario voces dictabat, de qua re infra agetur, cum pronuntiaret LEGATI — ES, factum est, ut is non de syllaba ES, sed de litterula S voci LEGATI adpingenda cogitaret; verum detecto utriusque errore compendium recte expletum est.

DEDĖIDERUNT	= DED^{id}ERUNT	97^r 8;	XLIII, 18, 11
PU̇OPILIUS	= P^{op}ILIUS [1])	100^r 6;	„ 22, 6
DILĖIBERATIO	= DEL^{ib}ERATIO [2])	103^r 25;	XLIIII, 2, 7
EXCEṠṠPISSET	= EXCE^{pi}SSET	106^r 10;	„ 5, 7
COMMEATU̇IBUS	= COMMEAT^{ib}US	107^r 11;	„ 6, 6
MINIṠNOṚI	= MIN^{or}RI [3])	112^r 7;	„ 11, 3
CURAṬUIT	= CURA^{ui}T	117^r 18;	„ 16, 10
SCIṬRETUR	= SCI^{re}TUR	117^v 14;	„ 17, 7
MACEDİONIA	= MACED^{on}IA	119^v 29;	„ 20, 1
PRO|FIṠCISCI	= PROF^{ic}ISCI	121^r 18-19;	„ 22, 5
PROFIṠCISCERETUR = PROF^{ic}ISCERETUR		123^r 26;	„ 23, 5
ANTICU̇ANUM [4])	= ANTIG^{on}UM	126^r 6;	„ 26, 8
MIṠNUS	= MI^{nu}S	133^r 2;	„ 33, 1
OCCȮULTOS	= OCC^{ult}OS	133^r 7;	„ 33, 2
UIC|TİORIA	= UICT^{or}IA	134^v 20-21;	„ 34, 9
UĖIDETUR	= U^{id}ETUR	139^v 5;	„ 38, 4
REPAU̇RAUERANT = [P]R[A]EP^{ar}AUERANT		140^r 10;	„ 38, 10
PAU̇NTAU|CUS	= P^{ant}AUCUS [5])	145^r 22-23;	„ 45, 7
LACERĖA¯|TES	= LACER^{ant}ES = LACER^{at}IS [6])	154^r 12-13;	XLV, 9, 7

[1]) Librarius ex compendio PILIUS vocem PULUS sibi finxisse videtur; cf. p. 68 not. 4.

[2]) Syllabas DI et DE saepissime inter se mutari non est quod memoremus.

[3]) Exaraturus fuerat MINIS pro MINI, sed conspectis fortasse in margine adscriptis litteris OR errorem correxit non deleta tamen priore N.

[4]) Librarius compendium primo non vidit, visum vero inepte explevit.

[5]) Ex hoc compendio ceteri in eo nomine commissi errores PENTAUCUS, PARTAUCUS explicantur.

[6]) Ex hoc exemplo clare adparet iam in apographo, unde codex descriptus est, exstitisse compendium depravatum LACERES, quod librarius, qui orationis conexum non perspiceret, aliter explere non potuit quam scribendo LACER^{ant}ES; verum non minus manifestum videtur ex vetustioris exemplaris compendio errorem esse repetendum, cum nisi ex compendio LACERIS = LACER^{at}IS corruptelae LACERES origo non perspiciatur.

POLPILIUS	= POpiLIUS	157v 15;	XLV,	13, 1
AGNAGNIA	= AnaGNIA[E]	161r 11;	"	16, 5
CONSULUATU	= CONSULatU	161v 12;	"	17, 2
CITUITATEM	= CiuITATE	168r 8;	"	23, 10
AGA¯|MEMNIONIAE = AGAMEMNonIAE		173v 6—7;	"	27, 9
ROMORUM (E.)	= RemORUM	181v 20;	"	35, 3
RIELICTURIS	= RelICTURIS[1])	182r 13;	"	35, 6
SA|CRIFICIAUI	= SACRIFICauI	189r 7—8;	"	41, 3
MASGEARE = MASGarE	= MASGab[A]E	193r 9;	"	44, 15

Quae exempla ita comparata sunt, ut littera per errorem exarata post duarum vel trium litterarum intervallum redeat atque simile prorsus scripturae compendium, quod remotis litteris istis minoribus nanciscimur, in archetypo fuisse adhibitum fere necessario inde sequatur.

Eadem compendia comprobantur syllabis vel supra voces scriptis

Porro insunt in codice vestigia, ex quibus concludamus oportet, in apographo illo, quo usus est qui codicem Vindobonensem confecit, syllabas in archetypo omissas certe quibusdam locis adscripta fuisse vel in margine vel supra ipsas voces per compendium scriptas. Nam praeter tria manifesta eius rei exempla ELERANT (GE) f. 9v l. 11 (XLI, 19, 8), TULE (TE A.) f. 67v 11 (XLII, 55, 7) POSEUM (ID) f. 112r l. 6 (XLIIII, 11, 3), in quibus duae litterae conspiciuntur supra voces mutilas adpictae, leguntur in codice menda nonnulla, quae nisi hac ratione explicaveris, incuria librarii syllabas transponentis orta vix cum aliqua probabilitate poteris demonstrare. Cuius generis exscripsi haec:

vel alieno loco insertis.

MEORESIN	= MEMORES	2v 10;	XLI,	11, 4
MI||LITES	= LIMITES	4r 29-4v 1;	"	14, 2
DIRIGANTUR	= REDIGANTUR	14v 4;	"	23, 17
DEREPENDI|QUE	= REPETENDIQUE	16r 6—7;	"	24, 16

[1]) Cf. exemplum compendii simillimi adlatum ab Ribbeckio l. c. p. 263 ex codice Vaticano (*R*): RIGATOS = RelIGATOS Aen. IX, 352.

MAGULINE¯|SIS	= MALUGINENSIS	17ᵛ 26-27;	XLI,	27,	2
DONUM	= ODIUM	24ʳ 24;	XLII,	6,	2
UOLUNTATEM	= UOLUTANTEM	28ᵛ 8;	„	11,	5
ERIPI	= EPIRI	50ᵛ 25;	„	38,	1
ERUAM	= EUERSAM	53ʳ 12;	„	40,	7
ESTSEU	= ESSET U[T]	58ʳ 17;	„	45,	6
ORTANAM	= ORNATAM[QUE]	58ʳ 20;	„	45,	7
LOCRIABANTUR	= GLORIABANTUR	73ʳ 9;	„	61,	4
SINU	= NISU	77ᵛ 16;	„	65,	10
TENUE|RUNT	= UENERUNT [1])	84ʳ 13-14;	XLIII,	5,	1
LYGDINO	= LYC[H]NIDO [2])	88ᵛ 25;	„	15,	3
UIDENTUR	= UIDERUNT	96ᵛ 17;	„	18,	9
PHALANOM	= PHANOTAM	99ʳ 8;	„	21,	4
PARTENIORUM	= PART[H]INORUM	101ʳ 10;	„	23,	6
PEREGRE	= PERGERE	103ʳ 5;	XLIIII,	2,	2
REPENTEDI	= REPETENDI [3])	107ᵛ 5;	„	6,	12

Quis iam contendere audebit eas voces a librario temere esse depravatas? — Quodsi vero ex singulis vocibus binas litteras separatas easque adscriptas fuisse in margine statuimus, velut

MORES EM
LITES MI
RIGANTUR ED [4])
REPENDI DE (= TE)

---

[1]) T praefixit librarius verbo seductus extrema littera vocis proxime praecedentis CINCIBILI.

[2]) Per compendium scriptum fuisse in archetypo hanc vocem aliis quoque erroribus testatus est librarius cf. 88ᵛ 8 (XLIII, 9, 7) LYCIDINUM; 89ʳ 28 (XLIII, 10, 8) LYCIDUM; 98ᵛ 23 (XLIII, 21, 1) LYCIDU¯.

[3]) Cf. quos Ribbeckius (l. c. p. 263) congessit errores similes, quorum nonnullos exscribam; ex *M*: PODARILIVS = PODA^li^RIVS Aen. XII, 304 (PODARIUS *R*); ex *MRγc*: TELVM = L^et^VM Aen. XII, 916; ex *P*: LOSE = S^ol^E ge. II, 512; ex *R*: FALICEM = FAC^li^EM Aen. I, 445 (vel fortasse = FA^ci^LEM; cf. cod. Liv. Vindob. f. 52ʳ l. 19—20 (XLII, 39, 6) FA\|LE = FA^ci^LE).

[4]) A librario his litteris quid faciendum esset nescio mutatae in DI.

MAGINENSIS LU
OUM DI
UOLUNTEM TA
ERI PI
EUAM ERS
ESTU SE
ORTAM NA
GRIABANTUR LO
NU IS
UERUNT NE
LYCDO NI
UIDENT RU
PHALAM NO
PARTORUM .IN
PERGE ER
REPENDI TE

iam adparet, depravatas hodie esse eas voces ignorantia librarii, qui alieno loco syllabas istas adscriptas vocibus inseruit [1]. Cuius sententiae probabilitas inde quoque augetur, quod iterum de binis plerumque litteris ab archetypi librario omissis agitur.

Compendia archetypi a librario inepte expleta.

Exstant praeterea codicis permultis locis voces scriptae, quae orationis conexui prorsus repugnant quasque genuinarum locum sola librariorum temeritate obtinuisse nisi temere statui nequit. Adferam ad probandam quam proposui sententiam plurima quamquam non omnia exempla:

PA|BULATIS	= PAL^{ud}ATIS [2]	1^v 6-7;	XLI, 10, 5
INTERDIT	= INT^{en}DIT	2^v 3;	„ 11, 2
PONTUSEX	= PONT^{if}EX	3^v 28;	„ 13, 4
INENARRABILI|TATE = INENARRABILI T^{ab}E		5^r 22-23;	„ 15, 2

[1]) Utrum vero codicis Vindobonensis librario ea menda debeantur an inventa iam ab illo atque descripta maiore cum fide quam ingenii acumine sint, nunc diiudicare non ausim.

[2]) Bis in hac voce erravit librarius; pro UD syllaba supplevit BU, quam, ubi lacuna nulla aderat, inseruit, ut vocem integram nancisceretur; idem factum est in aliis quoque vocibus velut in ADHORTATIONEM, PRAEMISERAT, AGITATAE, PERFICIENDI, GENERE.

UOLUNTATE	=	UOL^{up}TATE	9^{v} 21;	XLI, 20,12
PRAEDIS	=	PR^{et}IS	10^{v} 28;	„ 20,13
FURIAS	=	F^{er}IAS	11^{v} 25;	„ 21,11
UENIENTI	=	U^{ei}ENTI	11^{v} 26;	„ 21,12
INSURIAE	=	IN^{iu}RIAE	15^{v} 8;	„ 24,11
SIMUS|TATES	=	SIM^{ul}TATES	15^{v} 9-10;	„ 24,11
RERUM	=	R^{eg}UM	15^{v} 27;	„ 24,14
PROXIMI	=	PROX^{en}I	16^{v} 11;	„ 25, 3
CONSORTIS	=	C^{ens}ORIS	18^{r} 4;	„ 27, 2
ANITI	=	AN^{im}I	23^{r} 15;	XLII, 5, 2
PROPISQUOS	=	PROP^{in}QUOS	23^{v} 8;	„ 5, 5
PERREGIAM	=	PERR^{eb}IAM	23^{v} 19;	„ 5, 7
APPARITORIBUS	=	APPAR^{at}IBUS	24^{r} 27;	„ 6, 3
PUTO	=	P^{ond}O	25^{r} 16;	„ 7, 2
CONSERENTUR	=	C^{ens}ERENTUR	27^{r} 15;	„ 10, 3
CONSORS	=	C^{onc}ORS	27^{r} 15;	„ 10, 4
UIDISSE	=	U^{en}ISSE	28^{r} 13;	„ 11, 1
UIUENDI	=	U^{id}ENDI	28^{r} 27;	„ 11, 3
EXPERTIS	=	EXT^{er}IS	29^{v} 14;	„ 12, 8
PARERE	=	PAR^{ar}E	30^{r} 27;	„ 13, 5
NOUIS	=	N^{ob}IS [1])	31^{r} 6;	„ 13,12
FACINERUM	=	FACIN^{or}UM	32^{r} 13;	„ 15, 3
SUA	=	S^{ax}A	32^{v} 11;	„ 15, 9
UICTO|RUM	=	UICT^{ur}UM	33^{r} 5-6;	„ 16, 3
DEFENDI	=	D^{epr}ENDI	34^{r} 11;	„ 17, 7
APPELLARE	=	APP^{ar}ARE	34^{r} 25;	„ 18, 1
CONCISISSE	=	CONC^{ess}ISSE	39^{r} 9;	„ 24, 9
FREQUEN|TEM	=	FR^{em}ENTEM	39^{v} 20-21;	„ 25, 8
UENISSET	=	UEN^{ir}ET	40^{r} 25;	„ 25,14
SUBDI|TIS	=	SUBD^{uct}IS	41^{r} 19-20;	„ 27, 1
SITIS	=	S^{at}IS	48^{v} 11;	„ 35, 1
FAUORE	=	FAU^{er}E	51^{r} 6;	„ 38, 2
COGITATUS	=	CO^{mi}TATUS	51^{v} 28;	„ 39, 2
UIUENDI	=	U^{en}IENDI	52^{r} 7;	„ 39, 3
VIDERE	=	VI^{ta}RE	53^{r} 27;	„ 40,10
FACINERUM	=	FACIN^{or}UM	54^{r} 8;	„ 41, 6

[1]) Cf. supra p. 64 UIS = U^{ob}IS.

NOUIS	=	U^{ob}IS	54^{v} 23;	XLII, 41, 14
ADORNATIONEM	=	ADHORT^{at}IONEM [1])	58^{r} 22;	„ 45, 7
INCOHORTIS	=	INCOH^{at}IS	58^{v} 3;	„ 46, 1
SE|PARARET	=	SP^{er}ARET [2])	59^{r} 4-5;	„ 46, 6
DEPRESSIS	=	DEPR^{ens}IS	63^{v} 21;	„ 51, 8
PARTI	=	P^{ar}I	64^{r} 2;	„ 51, 10
EFFUSI	=	ET F^{ess}I	66^{v} 7;	„ 54, 5
MORTIS	=	M^{on}TIS	67^{r} 3;	„ 54, 10
FI|RE	=	F^{or}E	69^{v} 14-15;	„ 57, 11
IN|CENDENTIBUS	=	INC^{cd}ENTIBUS	71^{v} 1-2;	„ 59, 6
MINABAT	=	[E]MIN^{eb}AT	72^{r} 10;	„ 60, 2
TOTO	=	T^{nt}O	72^{v} 10;	„ 60, 7
DATNUM	=	D^{am}NUM	72^{v} 11;	„ 60, 7
PRAEPONENTES	=	PRAE^{ci}PIENTES	73^{v} 2;	„ 61, 10
ABSCENDENTES	=	ABSC^{ed}ENTES	73^{v} 11;	„ 62, 1
CAESA|RUM	=	CES^{su}RUM	74^{r} 21-22;	„ 62, 10
UIDIT	=	U^{ic}IT	74^{r} 24;	„ 62, 11
CONSIDIO	=	CONS^{il}IO	74^{r} 24;	„ 62, 11
HONESTA	=	ON^{ns}TA	77^{r} 12;	„ 65, 3
PUTABANT	=	PA^{te}BANT	77^{v} 7;	„ 65, 8
PROFICERENTUR	=	PROF^{it}ERENTUR [3])	82^{v} 6;	XLIII, 3, 3
RECIPERE¯|TUR	=	REC^{id}ERENT	85^{v} 13-14;	„ 6, 9
SINE	=	F^{id}E [4])	86^{v} 26;	„ 7, 9
REBELLUM	=	REB^{il}UM	89^{v} 7;	„ 11, 2
AMBITIOREM	=	AMBITI^{on}EM	90^{r} 10;	„ 11, 10
IMPERITI	=	IMPER^{at}I	91^{r} 6;	„ 12, 7
CLADIS	=	CL^{ass}IS	91^{r} 14;	„ 12, 9
SUBDECTUM	=	SUBI^{ect}UM	93^{r} 28;	„ 15, 5
SENON	=	SEN^{at}U	93^{r} 28;	„ 15, 5
ELEGAN|DO	=	ELEG^{end}O	93^{v} 2-3;	„ 15, 5

[1]) Littera H omissa corruptelae causa fuisse videtur.

[2]) Legit librarius: S·PARET; inde factum est, ut duarum vocum compendia subesse crederet haec: S· PAR^{er}ET.

[3]) Fortasse error ex falsa pronuntiatione eius qui dictabat verba (TE = CE, cf. exempla p. 99 adlata) explicari poterit, quamquam eodem iure a compendio eius originem repetere liceat.

[4]) Librarius pro F littera legit S.

SICIAE	= S^{oc}IAE	95^{v} 21; XLIII,	17, 8
CAUSA	= C^{astr}A	96^{r} 28; „	18, 5
DEDITIORE	= DEDITI^{on}E	97^{r} 29; „	19, 5
TUTABUN|TUR	= TUTA^{ba}NTUR	97^{v} 24-25; „	19, 10
CISCA	= C^{ir}CA	98^{v} 14; „	20, 4
PRAESIDERAT	= PRAE^{mi}SERAT	104^{r} 14; XLIIII,	3, 5
PETENTE	= P^{at}ENTE	104^{r} 23; „	3, 7
PROHIBEBANTUR	= PRO^{la}BEBANTUR	106^{r} 9; „	5, 7
SINITUS	= S^{on}ITUS	107^{r} 20; „	6, 8
FERRE	= F^{or}E	108^{r} 20; „	7, 4
PRAETECTA	= PRAET^{ent}A	110^{v} 7; „	9, 9
ACCENSIONE	= ACC^{ess}IONE	111^{v} 24; „	11, 1
CIRCUMUENTI	= CIRCUMU^{ect}I	113^{r} 18; „	12, 7
ERUDITIO|NIBUS	= ERU^{pt}IONES	114^{r} 5-6; „	13, 7
TENDESET	= TEND^{er}ET	114^{v} 4; „	13, 12
PETERE	= P^{on}ERE	114^{v} 25; „	14, 3
NOUANTIBUS	= UO^{le}NTIBUS	114^{v} 28; „	14, 4
LONGATIS	= L^{eg}ATIS	116^{r} 17; „	15, 8
MITTENTURQ·	= MITT^{ant}URQ·	119^{r} 10; „	19, 5
CRUDELITATIS	= CR^{ed}ULITATE	121^{v} 24; „	22, 6
INTULI	= IT^{ɔr}I	126^{r} 16; „	26, 9
PERPOSTULATIS	= PERP^{op}ULATI	127^{r} 1; „	27, 3
PROPE	= PR^{or}[A]E	128^{v} 9; „	28, 10
CURAUANTIUM	= C^{ar}AUANTIUM	132^{r} 22; „	32, 3
HABEBAT	= AB^{er}AT	133^{r} 3; „	33, 1
PERFERUNTDUM	= PERFER^{un}DUM	133^{v} 13; „	33, 7
ADNUNTIATA	= ADU^{oc}ATA	134^{r} 9; „	34, 1
CURATUS = C^{sl}A¯T·	= C^{el}A·NTUR	135^{r} 10; „	35, 3
NEGARE	= N^{ud}ARE	135^{v} 9; „	35, 8
CONTRA	= C^{as}TRA	138^{r} 5; „	37, 1
TREPIDANT|DUM	= TREPID^{an}DUM	140^{r} 12-13; „	38, 11
APERTAE	= AP^{ar}TE	141^{v} 4; „	40, 5
INMASSA	= INM^{iss}A	142^{r} 27; „	41, 6
HABEBANT	= AB^{ib}ANT	143^{r} 3; „	42, 3
DELATAE	= DEL^{et}AE	143^{v} 8; „	42, 9
FERENT	= F^{or}ENT	143^{v} 9; „	42, 9
DELECTA	= DEL^{et}A	144^{r} 18; „	44, 2

AUDEBAT	=	AU^{ge}BAT	144^{r} 23;	XLIIII, 44, 3
INCOG|NITA	=	INC^{ond}ITA	145^{r} 16-17;	„ 45, 6
INGENUE|RAT	=	ING^{em}UERAT	145^{v} 13-14;	„ 45, 11
DE|BITAS	=	D^{ed}ITAS	146^{r} 8-9;	„ 46, 1
ROMANO	=	RO^{di}O	149^{r} 11;	XLV, 3, 6
PORTICUM	=	P^{os}TICUM	151^{v} 9;	„ 6, 4
INCENDERUNT	=	INC^{id}ERUNT	153^{r} 19;	„ 8, 5
SUPERFUIT	=	SUPERF^{ud}IT	154^{r} 1;	„ 9, 5
PERUICERET	=	PER^{dn}CERET	158^{v} 14;	„ 13, 12
INPARASSET	=	INP^{er}ASSET	158^{v} 25;	„ 13, 14
AEQUITATIS	=	AEQUE T^{ant}IS	159^{r} 23;	„ 14, 2
FRUCTUM	=	F^{unc}TUM	159^{r} 25;	„ 14, 2
CAESI	=	C^{ens}I	160^{r} 4;	„ 15, 2
AGITALTE	=	AGIT^{at}AE	162^{r} 10;	„ 17, 7
ADSENATOR	=	ADS^{ent}ATOR	162^{v} 12;	„ 18, 6
ERUP|TURUM }	=	ER^{ep}TURUM	164^{r} 4-5;	„ 19, 13
ERUPTURUM }			164^{r} 13;	„ 19, 15
PARTITURUM	=	P^{et}ITURUM	164^{v} 15;	„ 20, 3
SECESSIONE	=	SECESS^{iss}E	168^{r} 5;	„ 23, 9
PARARE	=	PAR^{er}E	168^{v} 9;	„ 23, 16
POSTUMO [1]	=	POST^{ul}O	169^{r} 26;	„ 24, 5
PERFICIENDI	=	PERCI^{pi}ENDI	171^{r} 7;	„ 25, 9
PERCUNCTATI	=	PERCUNCT^{ant}I	174^{r} 28;	„ 28, 7
REFERRI	=	REF^{ic}I	174^{v} 22;	„ 28, 10
FIERI	=	F^{er}RI	176^{r} 5;	„ 29, 11
FAUISSERELIQUI	=	FAUISSE R^{eg}I QUI	177^{v} 18;	„ 31, 7
LEMBUM	=	L^{es}BUM	178^{r} 29;	„ 31, 14
LUDORUM	=	LUD^{ic}RUM	179^{r} 14;	„ 32, 8
FIRME	=	F^{er}ME [2]	182^{r} 6;	„ 35, 5
SCRIPSIT	=	C^{ar}PSIT	182^{r} 10;	„ 35, 5

---

[1]) Cf. Gai inst. p. 72 l. 15 ARG^{um}ENTO et p. 205, 1 ARG^{um}ENTUM pro ARGENTO, ARGENTUM; cf. Polenaarium l. c. p. 114.

[2]) Cf. Gai inst. p. 147 l. 2 LIBUSTORUM et p. 52 l. 13 BUSTA pro LIB^{er}TORUM et [LI]B^{er}TA; compendium ipsum videre licet ib. p. 101 l. 20 LIB·TE = LIB^{er}T^{at}E.

STIPULA¯|DOS	=	ST^{im}ULANDOS	184^{r} 5-6;	XLV,	37,11
FUISSET	=	F^{ec}ISSET	184^{r} 19;	„	37,13
INCENDUNT	=	INC^{ed}UNT	185^{r} 26;	„	38,12
PRAECIDENTES	=	PRAEC^{ed}ENTES	187^{r} 14;	„	39,12
UOLUNTATIS	=	UOL^{up}TATIS	187^{r} 22;	„	39,13
MAGNUM	=	M^{an}UM [1]	187^{v} 10;	„	39,16
COERCEBATUR	=	CO^{ac}ERUATUM	188^{r} 15;	„	40, 2
CONSULATUR	=	CONS^{ol}ATUR	189^{v} 29;	„	41,12
GENERE	=	GER^{er}E [2]	193^{v} 3;	„	44,20

Sunt hi loci ita comparati, ut de genuina scriptura fere ambigi nequeat neque ii errores, si paucos excipias, oriri potuerint litteris similibus inter se mutatis, ne in voce PERFICIENDI quidem, in qua, quamquam litteras P et F saepe inter se commutata non negamus, praeter litterarum permutationem syllabarum quoque translationem deprehendimus. Facillime vero errorum istorum origo explicatur, si in archetypo exstitisse concedamus vocum formas per compendium scriptas, quas litteris istis minoribus sublatis nanciscimur [3].

---

1) Cf. exemplum iam adlatum p. 64 n. 4 ex Vergil. cod. Vatic. (*R*) MV = M^{an}V Aen. 676.

2) Pauca quaedam ex Codice Liv. Veron. rescripto adferam exempla errorum, quos eodem modo ortos esse adparet:

EXPLETAS = EXPLEA^{t}S	p. 76,	XLIIII	q.	XX	f. 7^{r} l. 7;	lib. III,	68, 3
FAMATO = F^{or}MATO	p. 77,	XLV	q.	XXII	1^{r} 8;	IIII,	7, 3
MONSMENTI = MO^{nu}MENTI	p. 78,	XLVI	q.	XXII	1^{v} 16;	„	7,10
PENDERETUR = P^{et}ERETUR	p. 106,	LXXIIII	q.	XXVI	5^{v} 13;	„	58, 2
NULLUM = N^{ov}UM	p. 107,	LXXV	q.	XXVI	6^{r} 6;	„	58,10
FABISCUM = F^{al}ISCUM	p. 121,	LXXXVIIII	q.	XXVIIII	3^{r} 25;	V,	24, 2
RELIGIONUM = RELIGI^{os}UM	p. 125,	XCIII	q.	XXX	1^{r} 7;	„	30, 7
PLERIQUE = PL^{er}IQUE	p. 135,	CIII	q.	XXXI	3^{r} 25;	„	45, 4

3) In plerisque mendorum istorum dupplex deprehenditur compendiorum in archetypo usitatorum testimonium; nam, ut exemplo utar,

Eius generis menda postea correcta.

Confirmant hanc sententiam exempla quaedam correctionum, ex quibus in apographo quoque, unde codex Vindobonensis fluxit, compendia scripturae exstitisse eadem probabilitate conligere licet, qua ad eandem sententiam ex lacunis duarum litterarum supra memoratis devenimus. Etenim hae correctiones

INL̇U̇RIDEBANT	= IN^{ri}DEBANT[1])	2r 6;	XLI, 10, 10
DEPRECANṪDO	= DEPREC^{and}O	58v 18;	XLII, 46, 4
PU$^{.N}$BLICARU—	= PU^{ni}CARUM	60r 5;	„ 47, 7
ACCENṠDERE	= ACC^{ers}ERE	60r 28;	„ 47, 11
SUḂL̇PERFUERĖUNT = SU^{pe}RFUER·		66v 11;	„ 54, 6
COṘNCURSUM[2])	= C^{onc}URSUM	71r 19;	„ 59, 4
DO^{N}MO	= D^{on}O	72v 27;	„ 61, 2
CAİSSI	= CA^{es}I[3])	75v 17;	„ 63, 10
CA^{L}S$^{..}$T^{L}ES	= CA^{ll}ES	137v 13;	XLIIII, 36, 10
CȮṄAS|TRA	= C^{as}TRA	146r 25-26;	„ 46, 4
TERRȮṘET	= TERR^{er}ET	149r 21;	XLV, 3, 7
ṘĖḂHODIIS	= R[H]^{od}IIS	165r 28;	„ 21, 2
O^{P}ĊĊPUGNATI	= O^{pp}UGNATI	166v 11;	„ 22, 8
LĖOCUM	= L^{oc}UM[4])	192r 9;	„ 44, 3

plane demonstrant librarium haesisse in explendis lacunis. Ita factum est, ut e. g. formas archetypi INDEBANT, PUCARUM

---

librarius compendiosam scripturam SIS litteris IT (= SITIS) explendo id compendium non inusitatum fuisse testatus est, cum alterum (S^{at}IS) natura erroris, utpote de cuius medella dubium esse nequit, archetypo necessario vindicetur.

[1]) Cf. similis compendii exemplum adlatum ab Ribbeckio (l. c. p. 262) ex *F*: INDVNT = IN^{ui}DVNT Aen. VI, 708.

[2]) Librarius ex compendio C^{onc}URSUM litteras · CU separaverat compendium subesse opinatus C^{orn}U.

[3]) Adparet a librario descriptum primo esse compendium nullis omnino additis litteris.

[4]) Exaraturus fuerat librarius L^{es}UM.

additis LU, BLI litteris expleret; pro RHODIIS vel, ut saepe in archetypo scriptum fuisse ipse codex Vindobonensis testatur, RODIIS ut REBUS scribere inciperet[1]), in causa erat forma archetypi RIIS, cuius duas litteras I, id quod saepius eum fecisse supra exemplis probavimus, unam litteram U esse arbitrabatur; verum detecto hoc errore formam illam per compendium scriptam non duabus litteris EB, quas iam exaraverat, sed OD, quibus H de suo addidit, supplendum esse intellexit. In compendio ACCERE[2]) minus bene rem gessit librarius, quamvis tres litteras hic supplendas esse eum non fugeret; nam primo ACC^{ens}ERE scripturus erat, dein vero reiecta hac voce ACC^{end}ERE legendum esse statuit, cum ACC^{ers}ERE scribendum esset. Denique in exemplo TERRȮṘET[3]) errorem ille quidem perspexit, non tamen veram scripturam TERR^{er}ET.

Vox in versu repetito sibi non constans ex archetypi compendio explicatur.

His errorum exemplis, quae quam maxime faveant sententiae a nobis prolatae, utpote qua eorum origo melius quam adhuc factum est explicetur, addere liceat aliud luculentissimum. Librarius enim in describendis tribus archetypi lineis (XLII, 1, 6—7) ita incuria lapsus est, ut bis eas exararet et tum demum ad proxima verba transiret. Invenitur haec oculorum aberratio in codicis f. 20^{r} l. 29 — f. 20^{v} l. 5.

f. 20^{r} 29 MODUMPOSSIDEREPRIUATOSPAULA
f. 20^{v} 1 TIMPROFERENDOFINESCONTRABATHIC
2 IRATUSPRAENESTINISQUODCUMEOPRI
3 UATASPAULATIMPROFERENDOFINESCONS

---

[1]) Simillimum compendium Ribbeckius (l. c. p. 264) adtulit ex cod. *M*(ediceo): IDERIBUS = ID REBUS Aen. XII, 643. Adnotat Ribbeckius:
E
fuerat IDRIBUS; verum causa erroris repetenda est ex scriptura IDRUS = ID R^{eb}US, ex qua librarius voce proxima DOMOS seductus sibi finxit DOMO SIDERIBUS.

[2]) Cf. compendiosam scripturam DESCERE = DESC^{end}ERE Aen. IIII, 491 ab Ribbeckio ex *F* exscriptum (l. c. p. 262).

[3]) Neglexerat librarius initio litteram T, unde factum est, ut TERRE compendium esse arbitraretur vocis TERR^{er}E.

4 TABATHICIRATUSPRAENESTINISQUOD [1])
5 CUMEOPRIUATUSSACRIFICIINTEMPLO

Addam, quo facilius orationis conexus intellegatur, duos versus, quorum partem verba repetita constituunt (XLII, 1, 6—7): (6.) *Priusquam magistratus* [2]) *proficiscerentur, senatui placuit. L. Postumium consulem ad agrum publicum a privato terminandum in Campaniam ire, cuius ingentem modum possidere privatos paulatim proferendo fines constabat.* (7) *hic iratus Praenestinis, quod, cum eo privatus sacrifici in templo Fortunae faciundi causa profectus esset, nihil in se honorifice neque publice neque privatim factum a Praenestinis esset....*

Gratias agamus oportet maximas librario, qui hunc codicem scripsit vel cuius apographum librarius codicis Vindobonensis ad litteram expressit, quod incuria sua compendiorum et in vocum terminationibus et in mediis vocabulis adhibitorum invitus testis factus est. Atque omnium primum dubium esse nequit, quin voce PRIUAT· librarius seductus iterum ad verba iam exarata redierit. Cum autem in oratione Liviana vox ista bis tantum locum habeat, codicis tres diversae eiusdem vocis formae PRIUATOS, PRIUATAS, PRIUATUS vel utroque vel certe priore loco scriptum fuisse quod et PRIUATOS et PRIUATAS legi poterat (i. e. PRIUAT·) aperte indicant. Deinde, id quod a quaestione, in qua expedienda versamur, optime facit, eadem vox priore loco CONTRABAT, altero CONSTABAT legitur. Quaerere licebit, num quis alium difficultatis quam hic error praebet removendae aptiorem modum invenerit, quam qui inest in posita scriptura archetypi CONABAT? [3]) — Quare

[1]) In Hertzii adnotatione critica vocis repetitae IRATUS nullum deprehendi vestigium iam supra memoravimus.

[2]) Sic Hertzius edidit; Madvigius legit: *in provincias magistratus.*

[3]) Maiorem etiam probabilitatem sententia haec inde nanciscitur, quod *con* et *contra* eodem fere signo exarata esse ex indice editioni Gaianae a Studemundio adiecto (cf. l. c. p. 260) scimus. Licebit

exemplum istud inter manifestissima quibus de compendiorum usu in archetypo adhibito edocemur testimonia referemus.

Quamquam vix esse quemquam putaverim, qui sententiae tot tantisque argumentis a me defensae refragari velit, tamen adhuc̄ in promptu habeo exemplorum congeriem, quibus lacunae istae scripturae compendiis ortae archetypo vindicentur. Sunt enim in codice menda quam plurima inde orta, quod librarius quidam seductus compendiis, quae in codice aderant, adesse quoque ea putaret, ubi nihil erat supplendum. Unde factum est, ut plurimis vocibus integris duas plerumque, nonnullis etiam tres litteras insertas esse videamus. Ex quibus exemplis adferam, ita quidem ut litterae removendae typis minoribus obliquis significentur, haec: Voces integrae librario visae compendiosae.

TEMERARE	= TEMER^{ar}E	9^{v} l. 7;	XLI,	19,	7
SEDE	= S^{ed}E	10^{r}	9;	„	20,	3
PARENTUM	= PAR^{ent}UM	12^{r}	19;	„	22,	2
RELIGIONIBUS	= RE^{li}GIONIBUS	12^{v}	2;	„	22,	5
CORONAM	= COR^{on}AM	28^{v}	1;	XLII,	11,	3
RE|BUSPONSO	= RE^{bu}SPONSO	40^{v}	18-19;	„	26,	5
HOSTIBUS	= HOST^{ib}IIS	42^{v}	1;	„	28,	7
DONARIQUE	= DONA^{ri}QUE	42^{v}	10;	„	28,	9
PRAE|CIPIENTES	= PRAECIPI^{en}TES	44^{r}	16-17;	„	30,	4
DEDUXERANT	= D^{ed}UXERANT	46^{v}	4;	„	32,	7
SUBACTOLISAETOLIS =	SUBACT^{ol}IS AETOLIS	47^{v}	29;	„	34,	9
SOCIETATEMQUE	= SOCI^{et}ALEMQUE	49^{r}	7;	„	35,	6
FAUORE	= F^{au}ORE	51^{r}	6;	„	38,	2
HIPPANIAN	= HIPP^{an}IAN	52^{r}	27;	„	39,	7

---

igitur suspicari scriptum fuisse in archetypo 7ABAT = 7stABAT; librarium vero cum lineas iteraret, et vocem genuinam recte expleto compendio enucleasse (CONSTABAT) et vocabulum spurium (CONTRABAT) finxisse, cum signum 7 (= CON) commutaret cum simili compendio voculae CONTRA, id quod etiam alibi fecit; cf. f. 63^{v} l. 7 (XLII, 51, 6) CONTRATRAXERAT pro CONTRAXERAT, quod in archetypo scriptum fuisse patet 7TRAXERAT.

THEBISSINEBELLO|ETARCE = [THEBISSI]NE B^{ell}OETARC[HA]E [1])		56^{v} 10-11;	XLII, 43, 7
MONIMENTI	= MO^{ni}MENTI	57^{v} 27;	„ 45, 3
LIBERERORUM	= LIB^{er}ERORUM	60^{r} 4;	„ 47, 6
ADHORTATUS	= ADORT^{at}US	66^{r} 10;	„ 53, 9
FACERE	= F^{ac}ERE	68^{r} 23;	„ 56, 6
HALOPETICACAPTA	= ALOPE^{ti}CAPTA [2])	68^{v} 2;	„ 56, 7
TREPIDATUS	= TREPID^{at}US	68^{v} 29;	„ 57, 4
CORNICIBUS	= CORN^{ic}IBUS	70^{r} 24;	„ 58, 7
CIRCUMFUNDABANTUR =	CIRCUM^{fun}DABANTUR	77^{v} 14;	„ 65, 10
HISPA|NONIS	= HISPANO^{ni}S	82^{r} 23-24;	XLIII, 2, 12
SEGREGATORUM	= SE GR^{eg}ATORUM	85^{v} 29;	„ 6, 12
CONSULIUMAGRUM =	CONSUL^{iu}IN AGRUM	88^{r} 8;	„ 9, 1
HOSTIBUS	= HOST^{ib}IIS	92^{r} 2;	„ 13, 7
PROUIDEBIS	= PRO^{ui}DIBIS [3])	92^{v} 13;	„ 14, 6
SOLLICITUDINES	= SOL^{ic}ITUDINES [4])	98^{r} 21;	„ 20, 1
CONSUL|TABAT	= CONS^{ul}TABAT [5])	100^{r} 1—2;	„ 22, 5
MACEDONICUM	= MACEDON^{ic}UM	100^{r} 22;	„ 22, 9
MOUEN|TIUM	= MO^{ue}NTIUM	100^{v} 13-14;	„ 23, 2
HOSTILIUM	= HOST^{il}IUM	103^{r} 8;	XLIIII, 2, 3
MOUEN|TEM	= M^{ou}ENTEM	107^{v} 12-13;	„ 6, 14
FIRMAUIT	= FIRMA^{ui}T (= FIRMAT^{is})	113^{r} 5;	„ 12, 5
STATUTURUM	= STAT^{ut}URUM	115^{r} 9;	„ 14, 6
GESTARUM	= GEST^{ar}UM	118^{r} 28;	„ 18, 4
CONTENTIONE	= CONT^{ent}IONE	122^{v} 19;	„ 22, 16
REGIBUS	= REG^{ib}IIS	124^{v} 3;	„ 24, 9
SPECTACULA	= SPE^{cta}CULA	128^{r} 25;	„ 28, 8
COGNITA	= COC^{ni}TA	136^{r} 7;	„ 35, 13

[1]) De hoc mendo infra uberius disputabitur.

[2]) Error inde ortus est, quod praeceptae litterae CA vocis CAPTA coniungebantur cum HALOPE.

[3]) In hoc verbo librarius etiam litteram E in I mutavit.

[4]) Cf. Gai inst. p. 207 l. 10 LET = L^{ic}ET.

[5]) Cf. similem errorem codicis Veron. (l. c. p. 133) CI q. XXXI f. 2^{r} l. 17; lib. V, 43, 6: EXUL^{ul}ABAT.

ESSET	= ES^{se}T	139^{r} 25;	XLIIII, 38, 2
MANSITURUS	≐ MANSIM^{ur}US[1]	139^{v} 18;	„ 38, 7
QUARUM	= QUA^{ru}M	140^{v} 27;	„ 39, 8
POPOSCERET	= P^{op}OSCERET	148^{v} 12;	XLV, 2, 11
ODOMANTIDICHAE	= ODOMANT^{id}ICAE	149^{v} 8;	„ 4, 2
ESSET	= ES^{se}T	153^{v} 22;	„ 9, 3
CLASSISSE	= CLASS^{iss}E	154^{r} 17;	„ 10, 1
ROMANAE	= ROM^{an}AE	159^{v} 27;	„ 14, 9
IMPERIORUM	= IMP^{er}IORUM	164^{r} 21;	„ 19, 16
INGRES|SURUS	= INGRESS^{ur}US	165^{v} 6—7;	„ 21, 4
MEMORATA	= M^{em}ORATA	168^{r} 8;	„ 23, 10
PROPINIO|RES	= PRO^{pi}NIORES	168^{v} 2—3;	„ 23, 14
INRIDERENT	= INRID^{er}ENT	168^{v} 24;	„ 23, 18
REGIONIBUS	= REG^{ion}IBUS	169^{v} 11;	„ 24, 8
TRISTITIA	= TRIST^{it}IA	170^{v} 15;	„ 25, 6
EUROMANENSIUM	= EUROM^{an}ENSIUM	171^{r} 14;	„ 25, 11
POTUE|RANT	= P^{ot}UERANT	173^{r} 22-23;	„ 27, 7
NOBILITATEMPLO	= NOBILI T^{at}EMPLO	174^{r} 5;	„ 28, 3
AUXILIUM	= AX^{il}IUM	175^{v} 11;	„ 29, 7
PEDITIBUS	= PED^{it}IBUS	177^{r} 26;	„ 31, 3
MA|GISTRATIONIBUS	= MAGISTRAT^{ion}IBUS	177^{v} 9-10;	„ 31, 5
EXCIUITATIAMQUE	= EXCIUIT^{at}IAMQUE[2]	181^{r} 22;	„ 34, 11
REPETENTE	= REPE^{te}NTE	182^{v} 9;	„ 36, 2
SEDEM	= S^{ed}EM[3]	185^{v} 1;	„ 38, 7

[1]) Legit librarius sine dubio MANSITUUS, unde corruptela explicatur.

[2]) Fortasse virgula in archetypo ante IAMQUE posita librarium seduxit, quam compendii signum esse putaret; unde sequi videtur compendiorum signa (/ . ɔ) saepius fuisse adhibita, id quod duobus locis probatur, in quibus etiam nunc conspiciuntur; scribitur enim in cod. f. 117^{v} 29 (XLIIII, 17, 10) PR·RES = PR^{aeto}RES et f. 192^{r} 28 (XLV, 44, 7) Q·TOR = Q^{uaes}TOR (cf. etiam notam proximam). Attamen id non ubique factum esse ipsis exemplis, in quibus recensendis versamur, luculentissime comprobatur.

[3]) SEDEM ortum est ex SENON; particulam NON cum et confundatur cum NUM (f. 166^{r} l. 28; XLV, 22, 5 NUMSINECAUSA = NON...) et cum NUNC (f. 188^{v} l. 26; XLV, 41, 1 *cum spectaculo uobis NON TRI|UMPHUS meus, nunc funera liberorum* (in codice additur: *eorum*) *fuerit;* cf. etiam cod. Veron. (l. c. p. 114) LXXXII q. XXVII f. 4^{v} l. 19; lib. V, 5, 10 NŌ = NUNC: *cum id quod*

IN|FAMILIA	= INFAM^{il}IA	185^{v} 9-10;	XLV, 38, 10
REMITTERENTUR	= REMITT^{er}ENTUR	186^{v} 6;	„ 39, 5
SPONSILIIS	= SPO^{nsi}LIIS	191^{r} 8;	„ 43, 2
PERUISSENT	= F^{er}UISSE	192^{v} 22;	„ 44, 11
FELICI	= FIL^{ic}I [1]	192^{v} 29;	„ 44, 13

Quorum mendorum nonnulla ab huius codicis amanuensi correcta esse, sive ipse sive alius cuius apographo ille utebatur ea commisit, certum omnino est; nam correctiones huius generis:

CIUIṪȦBUS [2]	f. 4^{r} l. 21;	XLI, 13, 8
REL̥GIONIS	15^{r} 22;	„ 24, 8
CEN|CRISTAḂĖRET	15^{v} 16-17;	„ 24, 13
DIRİİUISSET [3]	22^{r} 9;	XLII, 3, 6
STATU̇IS [4]	46^{r} 6;	„ 32, 2

NÖ| offendit Etruscos, rex creatus Veiis mutari spatio interposito possit) compendiose scriptam fuisse fere necessario statuitur; quae sententia comprobatur scriptura prava cod. Vindob. f. 164^{r} l. 28 (XLV, 19, 17) QUINILLIS = QUI NON ILLI. Pro SENON igitur in archetypo erat SEN· vel SEN/; librarius ex littera N et signo compendii sibi mente fingens litteram M formamque, quam ita nactus compendiosam putabat, explendam esse ratus scripsit S^{ed}EM. Cf. prorsus eundem errorem commissum a librario codicis Vergiliani *P*: FELIX = FIXIT Aen. VI, 622, ubi verbis, quae Ribbeckius (l. c. p. 263) explicaturus

IT

hanc formam adiecit: *fuerat FIX*, addi potest: *et primitus FIX*· Cf. compendium supra ex cod. Veron. adlatum PROUOC/ = PROUOCET et errorem cod. Vind., de quo iam egimus, DECET pro DONEC ortum ex DEC·; denique TRADEN|TES = TRAH^{er}ENT in cod. f. 141^{v} 20—21; XLIIII, 40, 8 enatum hoc modo: TRAHENT (= TRAH^{er}ENT), TRAHENTES, TRENTES (= TR^{ah}ENTES), TRADENTES.

[1] Librarius cum legere sibi videretur FELI, inde fecit FEL^{ic}I.

[2] Librario in mentem venisse videtur CIUI^{tati}BUS; nam quamquam vera archetypi compendia in mediis vocibus adhibita fere duabus tribusve litteris omissis nata sunt, ille genuina voce non perspecta vel unam tantum vel etiam plus tres litteras addere non dubitavit, dummodo ita vocem aliquam restitueret.

[3] Exaraturus fuerat DIRIPUISSET.

[4] Cogitaverat librarius de STAT^{ui}IS.

MİṄUCIUS	70ᵛ	20;	XLII,	58,	13
DIRỊ̇JUIT	79ᵛ	25;	„	67,	9
ANTIGȦTONEM[1]	100ᵛ	27;	XLIII,	23,	4
SOLİTDO[2]	106ʳ	2;	XLIIII,	5,	5
PEDİTBUS	106ʳ	15;	„	5,	8
STȦBTIONE[3]	154ʳ	22;	XLV,	10,	2
UĖṠTOS	168ʳ	17;	„	23,	11
SERUIḶUS[4]	187ᵛ	4;	„	39,	15
QUAESİTSO[5]	188ᵛ	29;	„	41,	2

omnem eximunt nobis dubitationem, quin formae istae binis litteris auctae aut in apographo, unde codex manavit, scriptae fuerint aut certe mente conceptae sint a librario.

Quae cum ita sint, constare videtur fluxisse codicem Vindobonensem ex archetypo, cuius plurima scripturae compendia et in vocum finibus et in mediis vocabulis adhibita per compluria apographa, quorum uno librarius codicis Vindobonensis usus est, partim expleta vel recte vel prave, partim intacta in illum transierunt[6]. De compendiorum

Codicis Vindobonensis archetypus scriptus compendiis.

[1]) Cf. cod. Veron. (l. c. p. 94) LXII q. XXIII f. 5ᵛ l. 30 — LXIII q. XXIII f. 6ʳ l. 1; lib. IIII, 26, 2: DILATȦ‖TUS, quod exemplum item ad compendium a librario suppositum DILAT^{ai}US referendum est.

[2]) Coeperat scribere SOLI^{tu}DO.

[3]) Librarius initio subesse putabat compendium STA^{bo}T.

[4]) Inserturus erat librarius duas litteras: SERU^{il}IUS; sed scripta littera L iam errorem fortasse conspecta voce proxima GALBA deprehendit. Eodem modo erravit librarius cod. Veron. (l. c. p. 150) CXVIII q. XXXII f. 6ᵛ l. 17; lib. VI, 4, 7 pro SERVIUS SULPICIUS RUFUS scribendo SERUILIUS....

[5]) QUAESSO errore commisso perturbatus scripsit librarius pro QUAESO.

[6]) Exemplorum a nobis propositorum et numero et qualitate excusatum fore putavi, si Mauritii Muelleri argumentis syllabarum in mediis vocibus omissiones sic explicantis, ut quotquot eius generis vocabula deprehenduntur decurtata, in linearum olim confinio conlocata librarii proximae lineae litteras incuria praecipientis decurtata esse opinetur, obiter tantum respondero. Nam ne syllabarum omis-

natura, quae exemplis ex codicibus antiquissimis Vergilianis et Gaiano ac Liviano rescriptis Veronensibus petitis egregie inlustratur [1]), quamquam certissimum omnibus-

sarum orginem ab amanuensis tot linearum finibus decepti neglegentia repetamus, vetat alterum illud mendorum genus, non minus frequens atque ex eodem mea sententia fonte derivandum, quod syllabarum vel pravarum vel alieno loco positarum adiectione continetur. — Neque veriorem alteram sententiam a Muellero et l. c. p. 10. not. 10 et in Fleckeiseni *annal.* t. 99. p. 348 (ad XLI, 18, 10 ubi egregie falsus est, cum in cod. f. 8ᵛ 7 neque quod Hertzius habet *seieo*, neque quod Madvigius *seseo*, sed SEṠEO inveniatur) defensam inveni, qua terminationes partim ideo omissas esse docet, quod vocabula dictantis alterius pronuntiatione frequentius coalescebant, quamvis hos quintae decadis libros vel partes eorum dictata esse certissima adsint indicia. Voces enim ab illo congestae in fine truncatae maximam partem compendiis neglectis labem traxisse videntur. Praeterea minus accurate rem egit Muellerus e. g. p. 11, not. 12 adlatis *inspectum* (*in conspectu*), *superavere* (*superbe avare*) inter exempla prorsus aliter comparata velut *conplere* (non *complere*, = *conpellere*), *madoniam* (*Macedoniam*) *cus/diam* (non *custiam* neque ut Muellerus adnotat 43, 19, 2, sed f. 98ʳ 6—7 XLIII, 19, 12 invenitur); = *custodiam*); item in p. 12, not. 13 ubi exempla *cas* . (*Cassandrea*), *magis*. (*magistratus*) a reliquis erant separanda, cum in cod. f 112ʳ 28 (XLIIII, 11, 7) CAS| et 48ᵛ 21 (XLII, 35, 3) MAGIS i. e. neutra vox puncto notata inveniatur; quare in his ipsis exemplis rectius quam in permultis illis ex compendiis enatis de librarii incuria cogitari poterit.

Item contra Schuchardtium (cf. *Der Vocalismus des Vulgärlateins.* Leipzig. 1866) pugnare superfluum mihi videtur, quippe qui suam de litterarum pronuntiatione permutationeque doctrinam cum aliorum tum Vindobonensis erroribus falsisque lectionibus confirmari voluerit, cuius rei non sexcenta quot possim, sed haec adlaturus sum exempla: Cf. t. I. 191. p. not. *nuntiaibat*, *curaivit;* p. 100 sq. not. *piaulo;* cum in cod. f. 91ᵛ l. 23—24 (XLIIII, 13, 6) NU⁻|TIAİBAT (ortum ex NUNTIAᵇᵃT); f. 117ʳ l. 18 (XLIIII, 16, 10) CURATUIT (ortum ex CURAᵘⁱT); f. 69ʳ l. 8 (XLII, 57, 6) PLAULOPLUS (ortum vel ex compendio vel oculorum aberratione) legatur; porro ib. p. 140 et 141, ubi ex formis depravatis *interdit* = *intendit*, *vicirus* = *vicinus*, *mortis* = *montis*, *seratus* = *senatus*, *Partauco* = *Pantauco*, *fortibus* = *fontibus; genere* = *gerere* litterarum R et N commutationem ex modo pronuntiandi explicat; nonne eadem ratione omnium fere litterarum facile probare licebit ex eodem codice commutationem?

[1]) De horum aliorumque codicum compendiis atque iuris notis egregie illis a viris doctissimis Mommseno (cf. *Fragmenta iuris*

que numeris absolutum tum demum ferre licebit iudicium, ubi quaecumque eius generis in codice insunt excussa erunt atque discussa accurate, id tamen iam nunc contendere ausim plerumque omissas esse duas vel tres litteras in iis vocum terminationibus, quae duabus vel tribus syllabis continentur (*at, in, il, ar, er, ic, ib, iss, ant, ent, and, end....*), quae quidem litterae etiam in stirpibus vocabulorum saepius supprimuntur, quamquam negari nequit, compendia in ipsis mediis vocibus adhibita legibus adeo certis non posse circumscribi[1]).

Anteiustiniani Vaticana in Commentationibus regiae academiae scientiarum Berolinensis 1859 p. 355—388 et *Notarum laterculi* in H. Keilii *Grammaticorum Latinorum* vol. IV q. 265 sqq.), Studemundio (cf. Indicem notarum in splendidissima Gai editione p. 253 sqq.), aliis explicatis, et quae inter illa Livianaque intercedat compendia ratio, aliquando uberius disputandi occasionem me nacturum esse spero.

[1]) Exempli causa congeram hoc loco ea compendia supra iam adlata, quibus syllabae *at, in, er, ib* omissae erant vel omissae a librario putabantur:

at: NOBILIT^{at}A, REFRAG^{at}I, AGIT^{at}AE, INCOH^{at}IS, ADHORT^{at}US, INPROB^{at}UM, SORDID^{at}A, IMPER^{at}I, DEL^{at}AE, FOEDER^{at}IS, PERCUNCT^{at}I, (CONCIT^{at}A, DILAT^{at}A *cod. Ver.*), AET^{at}EM, NOBILIT^{at}EM, CIUIT^{at}I, INENARRABILIT^{at}E, (LIB^{er}T^{at}E cod. Gaian. Veron.) APPAR^{at}IBUS, SEN^{at}U, CONSUL^{at}U, LEG^{at}IONEM (LEG^{at}IS *cod. Ver.*), ADHORT^{at}IONEM, S^{at}IS, P^{at}EBANT, ANTIG^{at}ONEM.

in: APENN^{in}UM, CAPITOL^{in}I, LIBERT^{in}I (DISCRIM^{in}E *Vergil. P*; NOM^{in}E Cod. Gaian.), PROP^{in}QUOS, S^{in}ITUS, M^{in}UCIUS, MAS^{in}ISSAE.

er: FAU^{er}E, PAR^{er}E, GER^{er}E, PERG^{er}E, INDIC^{er}E, CLAUD^{er}E, (CING^{er}E *Vergil. F; LAUD^{er}E Veron.*) COMMEMORAU^{er}E, ADIUU^{er}E, TERR^{er}ET, INRID^{er}ENT, ADMOU^{er}ETUR, TEND^{er}ET, TRAH^{er}ENT, REMITT^{er}ENTUR, FACIN^{er}UM (bis), EXT^{er}IS, LIBER^{er}ORUM, INP^{er}ASSET, IMP^{er}IORUM, EXP^{er}IENDO, PHAL^{er}ATI, (CONCURR^{er}IT *Verg. P*; FU^{er}INT, FU^{er}RIT cod. Gaian), INT^{er}DIT. F^{er}IAS. R^{er}UM, AP^{er}TAE, F^{er}ENT, F^{er}ME, F^{er}RI, SP^{er}ARET, (NVM^{er}IS *Verg. P*; LIB^{er}T^{at}E, LIB^{er}TORUM, LIB^{er}TA cod. Gaian.; PL^{er}IQUE Liv. Veron.)

ib (eb): COMIT^{ib}US, CLAD^{ib}US, CRIMINANT^{ib}US, COMIT^{ib}US, HOST^{ib}US (bis), REG^{ib}US, DEL^{ib}ERATIO, AB^{ib}ANT, COMMEAT^{ib}US (CVLMIN^{ib}VS *Verg. F*); — N^{ob}IS, U^{ob}IS — R^{eb}US, PERR^{eb}IAM, EMIN^{eb}AT.

De compendiis in mediis vocibus adhibitis valere videntur quao Valerius Probus (*de iuris notarum* §. 1; cf. Mommseni

XLV, 24, 12. Iam revertamur ad exemplum CONIUGUMQUE (XLV, 24, 12), unde profecti sumus, CONIUG·QUE hoc scribi potuisse probare conati (p. 63). Quodsi statuamus in eadem voce scripturae compendium illud, quo duae litterae UG significantur, ita ut formam nanciscamur CONI·QUE, iam adparet, librarium quendam lacunam non post litteram I, sed ante eam adesse ratum inde formam sibi finxisse CON^{dit}IQUE [1]).

Quaerendum igitur est, anuon ex corruptela COLENDIITAQUE eodem modo vox apta elici possit, ita quidem ut origo erroris perspiciatur. Cuius vero notionis vox lateat, divinari licet ex loco simillimo XLV, 25, 12, ubi Livius Rhodiorum ratiocinationem hoc modo refert: *Non ita fracti animi civitatis erant ut non sentirent, si Lycia et Caria ademptae ab Romanis forent, cetera aut se ipsa per defectionem liberarent aut a finitimis occuparentur, includi se insulae parvae et sterilis agri litoribus, quae nequaquam alere tantae urbis populum posset* [2]).

Notarum latercul. l. c. p. 271) de cuiusque in notandis paucioribus litteris vocibus voluntate loquitur: *Est etiam circa perscribendas vel paucioribus litteris notandas voces studium necessarium. quod partim pro voluntate cuiusque fit, partim pro usu publico et observatione communi. . . . ad quas notationes publicas accedit etiam studiosorum voluntas: sed unusquisque familiares sibi notas pro voluntate quas signarit comprehendere infinitum est.* Atque profecto archetypi librarium usum esse e. g. in notanda voce MACEDONIA dupplici compendio (vel MA^{ce}DONIA vel MACED^{on}IA) supra vidimus (cf. p. 67, 70, 71).

[1]) Ceterum per se patet non eidem librario et compendia et errorem insertis litteris ineptis commissum deberi. Equidem hoc ordine paulatim enatam esse putaverim formam illam corruptam, quae hodie in codice legitur:

CONIUMQUE (= CONI^{ug}UMQUE)
CONI · QUE
CON^{dit}IQUE.

[2]) Vocem INOPIAM, quam codex l. c. exhibet, non esse meram interpolationem locis quam plurimis probabile fit, in quibus simili modo librarius compendium scripturae litteris a voce quadam vicina repetitis explevit (cf. infra p. 114). Quare INOPIAM abundare negaverim, immo conlato XLV, 25, 12 depravatum censuerim ex INCULTAM, quae

— Prorsus eadem argumenta Rhodii hoc loco (XLIIII, 14, 10) Romae adferunt, quibus belli incommoda se sentire probent: *Tertium se annum multa eius incommoda belli sentire mari interim incluso; incultam insulam inopem esse nisi maritimis iuvetur..... que commeatibus.* Utroque loco de commeatibus necessario aliunde petendis agitur; id unum in posteriore desideramus, fieri mentionem earum gentium, quae tunc temporis Rhodiis erant subiecti, unde commeatus eos petiisse alter locus satis ostendit [1]). Atque profecto maximum quo mari interim intercluso Rhodii adficiebantur damnum illud erat, quod imperium in populos ipsis subactos exercere vix poterant; improbabile igitur est eius rei legatos ne verbo quidem Romae fecisse mentionem. Orationis conexus igitur ut vocem inseramus flagitat, quae idem fere significet quod *stipendiariisque*, quamquam haec vox sub COLENDIITAQUE latere nequit. Proponam igitur coniecturam: *contributisque*. *Contributi* enim Rhodiis Lycii et Cares eodem iure appellari poterant, quo apud Curtium (5, 3, 16) legimus: *Uxiorum gentem subactam Susianorum satrapae con-*

---

vox in archetypo scripta erat INCTAM. Librarius C pro O et T pro I legens (cf. contra f. 153v l. 18; XLV, 9, 2 ubi ex ASIAM fecit ASTAM) pro INCulTAM scripsit INOrIAM. *Incultam* autem Rhodiorum insulam dici potuisse, quippe quae sterilis agri erat nemo nón concedet, praesertim cum etiam alibi ea voce Livius utatur; cf. II, 34, 1—2... *aliud multo gravius malum civitatem invasit, caritas primum annonae ex incultis per secessionem plebis agris....*; V, 10, 9 ...*ut cum confecta labore, vulneribus, postremo aetate corpora rettulerint incultaque omnia diutino dominorum desiderio domi invenerint, tributum ex adfecta re familiari pendant...*

[1]) Cf. *Καὶ προςθέμενος ἐξηγεῖτο τὰς ἐλαττώσεις, κεφαλαιωδῶς διεξιών, πρῶτον μὲν ὅτι Λυκίαν καὶ Καρίαν ἀπολωλέκασιν, εἰς ἣν ἐξαρχῆς μὲν ἐδαπάνησαν χρημάτων ἱκανὸν πλῆθος, τριποσὶς πολέμους ἀναγκασθέντες πολεμεῖν αὐτοῖς, νυνὶ δὲ προσόδων ἐστέρηνται πολλῶν ὧν ἐλάμβανον παρὰ τῶν προειρημένων.* (Polyb. ed. Dind. XXXI, 7, 4 = Exc. de legat. p. 173—179, 6, 7—8 p. 178).

tribuit; nam si conferamus Livii XXXVII, 55, 4 et 5[1]), Romanos Cariam et Lyciam Rhodiis denuo contribuisse edocemur. Poterant igitur in senatu iure merito dicere privari se mari intercluso contributis sibi ab ipso senatu commeatibus. Accedit, quod hanc vocem saepius apud Livium eodem modo adhibitam invenimus; cf. XXXII, 19, 4: *legatos ad gentem Achaeorum mitti pollicentis, si ab rege ad Romanos defecissent, Corinthum iis contributuros in anticum gentis concilium;* XXXIII, 34, 8: *Phocenses Locrensesque, sicut ante fuerant, adiecta decreti auctoritate iis contribuerunt;* XXXVIII, 3, 9: *Epirotis Ambraciam placebat adgredi, quae tum contribuerat se Aetolis;* XXXVIIII, 26, 2: *Xynias quidem, haud dubie Aetolicum oppidum, sibi contribuisse eos* (i. e. Thessalos). — Qua voce probata originem erroris facilius explicabimus. Atque primo terminationem *is* puncto tantum in archetypo fuisse significatam putaverim, id quod saepius contigisse codicis erroribus e. g. *libertatibus* pro *libertatis* (f. 51^r 28; XLII, 38, 6), *nominibus* pro *nominis* (f. 188^v 9; XLV, 40, 7), *uelitis* pro *uelitibus* (f. 70^v 14; XLII, 58, 12) manifestum est; quippe qui orti sunt ex librarii ignorantia, qua factum est, ut formis LIBERTAT·, NOMIN·, UELIT· terminationes ineptas adscriberet[2]). Qua ratione adhibita formam accipimus CONTRIBUT·QUE, ex qua altero compendio pro duabus litteris IB accedente enatum est CONTRUT·QUE[3]).

---

[1]) *Auditae deinde et aliae legationes ex Asia sunt. quibus omnibus datum est responsum, decem legatos more maiorum senatum missurum ad res Asiae disceptandas componendasque: summam tamen hanc fore, ut cis Taurum montem, quae intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni adtribuerentur praeter Lyciam Cariamque usque ad Maeandrum amnem, ea ut civitatis Rhodiorum essent.*

[2]) Cf. Gai inst. l. c. p. 239 l. 6 POSSION = POSS^{ess}ION^{is}.

[3]) Litterae IB eo facilius omitti poterant. quia idem compendium in terminatione IBUS saepius adhibitum invenimus; cf. quae de ea re infra p. 112 fusius exponentur. — Quod ad dupplex in una voce adhibitum scripturae compendium adtinet, cf. f. 161^r l. 9 (XLV, 17, 2) CUL = C^{ons}UL^{ares}; porro errorem supra ad-

Librarius vero cum litteram U in duas dissolveret litteras, id quod pronum erat et exemplo simillimo supra[1]) adlato explanatum est: IDDIEUTEREST pro ID DIEI ITER EST (f. 174^{v} 13; XLV, 28, 9), opinatus duas adesse voces, quarum altera in CONTRI, altera in IT·QUE lateret, facile suo modo ex posteriore forma ITAQUE restitui posse conclusit, neque temeraria per se est haec conclusio: nam *a* saepius puncto significabatur[2]). Qua voce ficta ex litteris, quae restabant, compendio locum esse suspicatus vocem integram elicere conatus est. Fortasse litterae TR minus accuratis ductibus exaratae litterae unius D speciem praebebant vel dignosci omnino nequibant; atque profecto obscurum in archetypo hunc locum fuisse errore molestissimo, in quo explicando tam diu versamur, manifestissime comprobatur. Itaque formam quam aut invenerat aut sibi finxerat (pro CONTRI) CONDI more solito explevit scripsitque $CO^{le}NDI$.

Quare cum coniectura a me prolata CONTRIBUTISQUE et orationis conexui bene respondeat et ex ea voce per compendium scripta (CONTRUT·QUE erroris (COLENDIITAQUE) origo facilius et rectius quam qualibet alia ratione perspiciatur, ita hunc locum restituendum esse putaverim: *Incultam insulam inopem esse, nisi maritimis iuvetur contributisque commeatibus.*

---

latum MISITSED ortum ex scriptura archetypi MISS' i. e. $M^{is}ISS^{et}$. Praeterea cf. Gai inst. p. 101 l. 20 LIB·TE i. e. $LIB^{er}T^{at}E$.

1) Cf. p. 65 n. 4.

2) Huius rei exempla et supra in nota 1 p. 60 adtulimus et hic aliquot luculentissima addimus: f. 187^{v} l. 3 (XLV, 39, 15) librarius pro DECRETA scripsit DECREUIT; ex quo sequitur in archetypo fuisse DECRET·, quod ille neglecto puncto aliud scripturae compendium subesse ratus explevit $DECRE^{ui}T$; porro f. 12^{v} l. 21 (XLI, 22, 8) OMNIAILLISINTEGRESSE pro $INTEGR^{a}ESSE$; denique, id quod plurimum valet f. 107^{r} l. 7 (XLIIII, 6, 6) ITQUE = $IT^{a}QUE$; porro AITQUE ex $\overset{A}{\text{ITQUE}}$ = $IT^{a}QUE$ ortum in f. 177^{r} l. 7 (XLV, 30, 8).

XLV, 44, 2. Ante Kopitarium editores librum XLV finierunt voce: Actumque... De quo loco agens in Anal. Livian. p. 4 Mommsenus scribit: *Verba in Asia bellum agnovit Kopitarius, confirmantque ea et ectypum et amici Conzius et Hartelius, qui mea causa codicem inspexerunt. Post hiatum tredecim fere litterarum, in quo litterarum TER vestigia quaedam parum certa Conzius agnovit, de iis quae sequuntur NETGALLOS/ IND mihi ectypo inspecto dubitatio nulla remansit, amici in ipso codice legerunt alter MONETGALLOS/ IN, alter UREI (vel T) ///LOS/ IND///. In fine quot litterae desint non apparet, sed versus qui incipit IND videtur fuisse huius libri extremus cuiusque pars posterior scripta non esset. Hartelio tamen paenultimus magis fuisse videtur, ut qui sequebatur totus evanuerit. — Videtur igitur Livius librum finivisse verbis his fere: actumque in Asia bellum [in]ter [Eumene]n et Gallos inde coepit.* — Sed habeo quae ratiocinationi Mommseni opponam. Quamquam versus ab IN syllaba incipiens (i. e. fol. 193^{v} l. 13) extremus est, non tamen legendum est cum Mommseno, sed Conzium ad verum proxime accessisse concedamus oportet. Saepius enim inspecto codice hanc mihi persuasi esse paenultimi versus scripturam:

ASIABELLUMINTEREUMENETGALLOS, ita ut vel prave vel per compendium EUMEN pro EUM^{en}EN scriptum sit [1]. Quod ad ultimum versum adtinet, nullum litterae D deprehendi indicium, sed post IN spatio trium quattuorve litterarum interposito legitur IT

IN . . . . IT

Adparet unum his syllabis circumscribi verbum; nam cum nusquam in totius codicis mediis versibus complurium litterarum ductus inter se coniungantur, inter IN et IT,

---

[1]) Confirmatur id compendium correctione, quam inveni in cod. f. 46^{r} l. 4—5 (XLII, 32, 2) EUMENİENINPRO|UINCIAM; nimirum in archetypo quod legebatur EUMNE librarius compendium vocis EUMENEN esse putabat.

si Mommsenum sequamur, sex litterae erunt coartandae (..DECOEP..); quod spatio nimis angusto prorsus vetari, facile concedet quisquis codicem inspexerit. Ceterum vereor ne Mommsenus, praesertim cum de origine belli inter Eumenen regem et Galatas iam l. XLV, 20, 1[1]) a Livio relatum esse disertis verbis fateatur, hunc locum minus apte expleverit *inde coepit* restituendo, cum necessario *iterum coepit*. dicendum esset. Sed res mihi prorsus plana est. Extremum enim eius enuntiati verbum erat INCREUIT, quod non solum spatio angusto[2]), sed etiam orationi optime respondet. Nam egregie consentit cum Polybii verbis: *μεγάλου ὑπὸ τῶν Γαλατῶν ἐπικρεμαμένου κινδύνου τῇ βασιλείᾳ, προφανὲς ἦν ὅτι διὰ τὸν σκυβαλισμὸν τοῦτον οἱ μὲν τοῦ βασιλέως σύμμαχοι ταπεινωθήσονται πάντες, οἱ δὲ Γαλάται διπλασίως ἐπιρρωσθήσονται πρὸς τὸν πόλεμον*[3]). Similis locus est: *δόξας γὰρ* (i. e. *Εὐμένης*) *μάλιστα τότε τὴν ἰδίαν ἀρχὴν ἐν ἀσφαλεῖ βεβηκέναι καὶ πολλὴν ἐπιφέρειν ῥαστάνην τὸν ἑξῆς χρόνον, ἅτε τοῦ Περσέως καὶ καθόλου τῆς ἐν Μακεδονίᾳ βασιλείας ἄρδην ἀνῃρημένης, τότε μεγίστοις ἐνεκύρησε κινδύνοις τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν Γαλατῶν ἀνυπονοήτως ἐπαναστάντων τοῖς καιροῖς*[4]). Neque verbum *increscere* Livio inusitatum esse probatur locis, velut: I, 33, 8 *Carcer ad terrorem increscentis audaciae media urbe imminens foro aedificatur;* X, 14, 17 *nec sustinere frons prima tam longum*

[1]) *Itaque introductus in senatum* (Attalus)... *Gallorum defectionem, quae nuper ingenti motu facta erat, exposuit;* cf. etiam XLV, 19, 3: *adduxerant eum* (i. e. Attalum) *duae in speciem honestae res, una gratulatio conveniens in ea victoria, quam ipse adiuvisset, altera querimonia Gallici tumultus acceptaeque cladis, qua regnum in dubium adductum esset.*

[2]) Ne quis codicem inspiciens obiciat, ante syllabam IT conspici vestigium litterulae, quod meam evertat sententiam, sufficiat adfirmasse, illud litterae indicium verbo INCREUIT minus favens perlucere ex pagina eiusdem folii recta.

[3]) Cf. Polyb. Hist. ed. L. Dindorf. XXX, 17, 12 = Exc. de legat. p. 169—172.

[4]) Cf. ib. XXIX. 6[d] = Exc. Vat. p. 431—436 M. 75—77 H. — Cf. etiam XXX, 2, 8.

certamen *increscentemque* *fiducia sua vim potuisset...* XLIV, 36, 5 *deinde quantum* *incresceret* *aestus, et voltus minus vigentes et voces segniores erant;* denique id quod maxime quadrat exemplum hoc est: X, 5, 2 *cum ira ab accepta nuper clade stimulabat, tum concitatior accidens clamor ab* *increscente* *certamine.* Quare ita librum XLV claudendum esse censuerim: Actumque in Asia bellum inter Eumenen et Gallos increvit.

De quibus modo disputatum est loci adhuc sanari nequibant, quia de codicis scriptura antea nihil certi constabat; adiciemus iam in iis quae secuntur breve spicilegium criticum eorum locorum, qui quamquam maximam partem recte ex codice exscripti alia quam quae adhuc iniri solebat via emendari posse mihi videntur.

XLI, 12, 10. XLI, 12, 10. *Claudius duarum gentium uno anno uictor duabus quod raro alius in consulatu pacatisque*[1]) *prouinciis romam euertit.* Haec verba, in quibus quae facili negotio sanari poterat postrema vox *evertit* dudum sanata est, hac labe abstersa integra non esse viderunt viri docti, quorum Grynaeus voculam *que* exterminavit, Hertzius *paca[tis...]tisque* scribendo lacunam hiare suspicatus est. Improbabiliter uterque, cum glossematis opportuna adesset occasio, quo remoto ita Livius scripsisse putandus est: *Claudius duarum gentium uno anno victor, quod raro alius in consulatu, pacatisque provinciis Romam revertit.*

XLI, 13, 5. XLI, 13, 5. Scripturam codicis DELIGURESCAPTUSAGERERAT (f. 4r l. 8) ortam esse putaverim ex hoc

---

[1]) Sic, non *paccatisque* (cf. Hertzii adnotationem criticam) in codice legitur.

archetypi compendio: DELIGUR·ISCAPTUSAGERERAT[1]), quod cum neglegeret qui describebat vel librario dictabat verba codicis pronuntiando *Liguris*, deceptis librarii auribus inde enatum est *Ligures*. Quare contra Madvigium, qui *de Ligure* scribit, cum Hertzio reponendum in textum censuerim: *De Liguribus is captus ager erat.* — Haec iam scripseram, cum vidi etiam Madvigio *is* pronomen visum esse necessarium, quamvis post *captus* id reposuerit.

XLI, 13, 8—14, 1. (fol. 4ʳ l. 21—24) XLI, 13, 8 —14, 1.

ITAQUAETACI
TIUTIRATUSESSESENTIRESSECUTI
SUNTCURRUSTRIUMPHUSDELIGURI
BUSAGEBATURLIGURESPOSTQUAM

In his codicis verbis subesse lacunam crediderunt viri docti, quam expleverunt addito post *currum* (ex *currus* correctum) vel *Dum is*... ut Grynaeus, vel *cum is*... ut Dukerus, quem secuti sunt recentiores, Hertzius, Madvigius. Sed mihi non leviter videntur errasse. Nam signo distinctionis maiore post *currum* posito gravissimis implicamur difficultatibus. Habemus enim constructionem,

---

[1]) Eius generis compendia iam in superioribus passim archetypo vindicavimus (cf. quae de formis: TRIBUNAM = TRIB·UNAM = *tribubus unam;* UELITIS = UELIT· = *velitibus* supra exposuimus); quare hic sufficiat addere exempla gravissima, quorum primum in f. 76ᵛ l. 7 (XLII, 64, 7) invenitur, ubi librarius signo distinctionis, quod in archetypo positum erat (CASTRAMOUENT·IBI), significari terminationis IBUS compendium ratus scripsit: CASTRAMOUENTIBUSIBI. — Cf. porro f. 132ʳ l. 27 (XLIIII, 32, 4) ubi legitur REGEMIPSUMCUPARENT|; scriptum erat in archetypo C·PARENT· = CUM (de quo compendio infra agetur) PARENTIBUS, unde librarius unius vocis compendium supponens verbum istud spurium sibi finxerit. Prorsus autem aptum, quo causa haec finiatur, est correctionis exemplum, quod deprehendimus in cod. f. 9ʳ l. 8 (XLI, 19, 2) LIGUREIBUSQ·; nam hoc quoque loco in archetypo fuisse LIGUR·, quod librarius iam expleturus fuerat terminationem ab E incipiente adiciens, luce clarius adparet.

quae a duobus enuntiatis quae vocant temporalibus incipit: *cum is triumphus — agebatur* et quod proxime sequitur *Ligures postquam senserunt.* Deinde nonne miros nos habere debet illud *Liguribus*, quod iam uno tantum interposito verbo *agebatur* sequitur vocem *Ligures?* Quae difficultates ut evanescant, graviter post *agebatur* distinguamus necesse est, ita ut enuntiatum *cum is triumphus de Liguribus agebatur* referatur ad verba, quae proxime praecedunt: *itaque taciti, ut iratos esse sentires, secuti sunt currum.* Quae enuntiatorum coniunctio cum multo melius se habere videatur, alterum etiam, quod non ineptum sit, verbis ita constitutis consequimur. Nam ex verbis: *Itaque taciti, ut iratos esse sentires secuti sunt currum, cum is triumphus de Liguribus agebatur* — facilius abesse posse *currum* quam *cum is* quisque intelleget. Qua re et codicis scriptura *currus* permotus, non lacunam, sed corruptelam statuerim. Etenim ut nihil dicam de iis, quibus supra compendiorum in terminationibus significandis usum frequentem fuisse probatum est, ex *indicis notarum*, qui editioni Gai nuper a Studemundio curatae adiectus est, p. 260 constat CUM saepius per compendium scriptum esse C vel C· Cumque ibidem et CURA per C̄· et TUR per T' vel T·[1]) scribi solitum esse doceamur, quidnam erat facilius quam permutari inter se syllabas CUM et CUR? Itaque CURRUS ex compendiosa scriptura C·IS enatum esse mihi perquam videtur verisimile. Nam terminationes UM et UR passim permutatae ex eo scripturae compendio explicandae sunt; cf. fol. 16r l. 26 (XLI, 24, 19), ubi pro DIFFERTUR scriptum est DIFFERTUM; porro fol. 188r l. 15 (XLV, 40, 2) COERCEBATUR pro COACERUATUM. Etiam permultae illae passivae quas vocant verborum formae in libris ultimis potissimum inepte positae cum inveniantur, ubi gravius interpungamus oportet, hoc modo enatae sunt, ut librarius signa distinctionis (.) in archetypo usurpata compendia syllabae UR esse putaret[2]). Idem

---

[1]) Cf. l. c. p. 306.

[2]) De qua re cf. quae infra p. 102 n. 1 ad XLI, 18, 8 exponentur.

vero compendium (·) etiam in voce monosyllaba CUM nonnumquam esse adhibitum, ita ut C· scriberetur, adparet ex mendo, quod invenitur in codicis fol. 15v l. 2—4 (XLI, 24, 10), ubi quinque verba bis scripta sunt, sed ita, ut CUM et CUR inter se varient:

NOBISSITCUMEX
SECRABILISISTANOBISSITCUREXSECRA
BILISISTA

Alterum eiusdem rei testimonium petere licet ex corruptela XLV, 40, 3, ubi verba, in quibus recensendis omnes editores consentiunt, *Perseus contra praedives bellare cum Romanis coepit*, in codicis f. 188r l. 16—18 sic leguntur:

PER
SEUSCONTRAPRAEDIUESBELLAREGE‾
ROMANISCEPIT...

In codicis archetypo scriptum erat BELLAREC·; littera C per errorem pro G habita seduxit librarium, ut terminationem EM pro UM adscriberet menteque sibi legendum esse fingeret non quod debebat *bellare cum*, sed *bella regem*. Idem compendium particulae CUM sollemne fuisse alio codicis errore comprobatur, cuius adhuc quantum scio tenebris obruta erat origo. Nimirum in f. 147r l. 23 (XLV, 1, 6) pro CIRCENSISTURBAE legitur CUMTENSISTURMAE. Scriptum erat in archetypo per compendium C·CENSIS (i. e. C^{ir}CENSIS); librarius autem, qui apographum inde confecit, bis peccavit, cum et ex C· particulam CUM fingeret et alteram litteram C mutaret in T eodem modo, quo in eiusdem folii l. 27 pro ESCENDENTI scripsit EXTENDENTI, porro f. 31r l. 5 (XLII, 13, 12) PRAETER pro PRAECER = PRECER et errore contrario commisso f. 25r l. 19 (XLII, 7, 3) INAGRO|STATELLACI pro STATELLATI; f. 45v l. 18—19 (XLII, 31, 8) ALCE|RAS pro ALTERAS; f. 70r l. 7 (XLII, 58, 4) PORCIS pro PORTIS [1]). — Luculentissimum vero huius rei documentum

[1]) Equidem hos errores (TE pro CE, CE et CI pro TE et TI) ex prava pronuntiandi ratione ortos esse putaverim, qua librarius fal-

exstat in fol. 158r, l. 19 (XLV, 13, 8), ubi librarius praenomen *Cai* per compendium alibi scriptum (C· PAPIRIO) mutavit in CUM (PAPIRIO). Prorsus idem error invenitur in fol. 154v l. 29 (XLV, 10, 10), ubi CUM DECIMI pro C· DECIMI legitur. Patet igitur in archetypo hinc illinc CUM per compendium fuisse scriptum; nam ita tantum fieri potuit, ut librarius praenomen C· in CUM mutaret. Unde expuncta voce *currum*, quam necessario requiri nemo con-

---

lebatur, qui altero dictante voces litteris mandabat; nam hoc modo confectum esse codicem Vindobonensem fere in propatulo est. De qua re cum in posterum accuratius instituere quaestionem in animo sit, pauca quaedam tantum quae huc faciant adferam. Sunt in codice loci, in quibus librarium consonae vocalem, quae in pronuntiando adicitur, adscripsisse videmus, quia is, qui dictabat, ubi vocem sibi cognitam non deprehendebat, sine dubio litteras singulas, prout se excipiebant, pronuntiabat; contra alibi saepius vocalem non archetypo, sed ei, qui dictabat, tribuens scribendam non esse censebat. Ita factum esse videtur, ut in f. 173v (XLV, 28, 2) bis ARYX pro ARX (l. 25 et 26), item bis STHAMUS pro ISTHMUS (l. 25 et 28); in voce priore Y, in posteriore A intrusa pronuntiatis per se consonis X et H, denique in posteriore vocalis I omissa simili debetur errori librarii, qui non de syllaba IS, sed de mera consona S per se pronuntiata cogitandum esse putaverit. Confirmatur haec sententia compluribus correctionibus, quarum duas adferam. In f. 147v l. 24—25 (XLV, 1, 6) legitur ADẎX·K·|OCTOBRIUM i. e. *ante diem X. kal. Octobres;* vix est quod memoremus eum qui dictabat non vocem (*decimum*), sed litteram X addita vocali Y (YX) pronuntiasse, unde error postea emendatus explicatur. Eiusdem generis in f. 64v l. 21—22 invenitur mendum correctum ḊĖTI|RONIBUS. Vocem inusitatiorem TIRONIBUS cum non calleret qui dictabat, litteras singillatim pronuntiabat T—I; unde factum est, ut librarius deceptus scriberet DE—I. Verum mox inter utrumque de errore commisso convenisse videtur; itaque litteras iam exaratas delendas esse punctis supra positis indicavit. Similis error, sed a librario non correctus invenitur in f. 159v 1 (XLV, 14, 3) DEIIS = DIIS. — Ceterum si quis scripturam *aryx* ex linguae Celticae indole explicare malit — nam insertam esse a Celticis vocalem y, ubi duae conliderent consonantes, *leityr* (*latro*) pro *lleidr*, *ffenestyr* (*fenestra*) pro *ffenestr*, *baryf* (*barba*) pro *barf*, verum ita pronuntiatam, ut syllabae mensuram non aequaret (cf. Zeuss, *Grammat. Celt.* ed. Ebel. p. 167) Hartelius me monuit — meam de codice dictato quam protuli sententiam nihilo minus gravissimum inde nancisci argumentum nemo negabit.

tendet, qui recordatus erit, eundem Livium, qui in l. XXXIIII, 52, 10 scripsit: *secuti currum milites frequentes*, versu eiusdem capitis duodecimo exhibere: *praebuerunt speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui servitute exempti fuerant*, legam atque distinguam hoc modo: XIII, 8... *itaque taciti, ut iratos esse sentires, secuti sunt, cum is triumphus de Liguribus agebatur.* —XIV, 1. *Ligures postquam...*

XLI, 15, 9. *Citerior Hispania obvenerat.* Consentiunt in hac scriptura codicis tuenda omnes viri docti. Sed dubito, num reperiri possit aliud exemplum huius verbi ita nude positi; nam ubique quantum scio coniungitur cum dativo; cf. VII, 16, 3 *Ea provincia C. Manlio obvenit*; IX, 31, 1 *Iunio Samnites, Aemilio novum bellum Etruria sorte obvenit*; X, 12, 3 *Scipioni Etruria, Fulvio Samnites obvenerunt;* XL, 35, 8 *A. Hostilio urbana, Ti. Minucio peregrina obvenit;* XLI, 9, 8 *Claudio Histria, Sempronio Sardinia obvenit;* XLI, 14, 9 *cui Pisae provincia obvenisset;* XLII, 18, 3... *consul, cui Macedonia provincia obvenisset.* Quid igitur planius, quam ab *ei* incipere enuntiatum, quae vocula, cum simillimae sequantur litterae, intercidere facillime potuit. Scribam igitur: *P. Licinius Crassus sacrificîs se impediri sollemnibus excusabat, ne in provinciam iret;* [*ei*] *citerior Hispania obvenerat.* XLI, 15, 9.

XLI, 18, 8; fol. 8r l. 26—29 XLI, 18, 8.

INPETILIOIDUITIOFACTUMPOSTEAAU
GURESRESPONDERUNTQUODEXTRA
TEMPLUMSORTEMINSITELLAMINTE¯
PLUMLATAMFORISIPSEOPORTERET...

En locum Madvigio teste difficiliorem ad corrigendum, quem exscripsi, ut in codice legitur. Non agam de UITIO (v. 26), quod recte emendatum a Madvigio in *vitii* facile concedam, sed de corruptela, quae in vv. 28 et 29 confinio latere mihi videtur. Consulem in templum non intrasse, sed foris mansisse cum ex verbis adla-

tis quamquam obscuris tum ex iis quae praecedunt aperte sequitur, quibus Valerium in templo fuisse atque propterea *auspicato sortitum* edocemur. Opponitur itaque Valerio, *quem auspicato sortitum constabat*, Petilius, quem quidem sortitum esse non negat Livius, quamvis vitium in sortiendo factum esse indicet. Sortitus autem est, si quid video, Petilius inferendo sortem in sitellam; sed id fecit vitii, quod extra templum sortem in sitellam intulit neque intra templi parietes, sed foris exspectabat, utrius sors esset exitura. Quare locum hoc modo emendaverim; *quod extra templum sortem in sitellam inlatam foris ipse opperiretur.* Qua coniectura probata neque *extra templum* eiecimus neque *sitellam* mutavimus in *sitella* et vitavimus foedam illam verborum coniunctionem *in sitellam in templum* eiecta voce TEMPLUM, quam nihil aliud esse nisi compendium prave expletum facile probatur. Etenim in archetypo erat EXTRATEMPLUMSORTEMINSITELLAMINTAM (i. e. IN^{la}TAM); quod compendium cum non perspiceret qui apographum exaravit, scripsit mutata A in U: INTEMPLUM (= INT^{empl}UM); causa autem erroris plana est, vox proxima EXTRATEMPLUM. Qui apographum emendavit postea vel novum inde descripsit, detecto errore suprascripsit quae pro TEMPLUM inserenda

LATAM

erat vocem LATAM; quam correctionem INTEMPLUM codicis Vindobonensis librarius vel is, cuius apographo ille usus est, ita descripsit, ut et errorem et correctionem iuxta se posita INTEMPLUMLATAM orationi insereret. Ex OPPERIRETUR denique intellegitur, quomodo OPORTERET oriri potuerit; scriptum enim fuisse in archetypo TUR per T·, unde oblitterato signo illo satis exiguo vel addito eodem ubi non oportebat addi, enatae sunt frequentes istae inter activam et passivam quas vocant formas mutationes[1]); cui

[1]) Litteras UR iam in archetypo vel certe apographo, unde codex Vindobonensis manavit, nonnumquam fuisse suppressas atque signo tantum notatas ex erroribus codicis quibusdam constat. Cf. f. 103^r l. 15 (XLIIII, 2, 12) UIDERECIRCUM = UIDERETURCUM; in archetypo fuerat UIDERET·CUM, unde librarius fortasse forma lit-

rei si adicias usum scripturae, quae est per compendium: OPPERET· (= OPPER[ir]ET·) nescio annon luculenter inde explicari possit corruptela, quam invenimus in codice; librarius enim neglecto signo, quo litterae UR significabantur compendium explendum esse statuit: OP[ort]ERET[1]). Adhiberi autem verbum *opperiri* a Livio ita, ut cum accusativo iungatur, exemplis potest probari; cf. I. 56, 8: *Bruti quoque haut abnuit cognomen, ut sub eius obtentu cognominis liberator ille populi Romani animus latens opperiretur tempora sua.* V, 6, 1—2... *plurimum intererat insuescere militem nostrum... spei exitum exspectare et, si non sit aestate perfectum bellum, hiemem opperiri.* XXX, 10, 8 *ita parati atque intenti hostium adventum opperiebantur.*

---

terae T minus perspicua deceptus compendium vocis C[ir]CUM, quod alio codicis loco (cf. supra CUMTENSIBUS ex C·CENSIBUS = C[ir]CENSIBUS) revera latebat, adesse ratus est. Signum vero eius compendii dupplex fuisse item codicis erroribus docemur. Nam passivae illae formae insulse positae fere iis inveniuntur locis, ubi distinguatur oportet; quare non immerito archetypo distinctionis signa (·) vindicabimus, quae librario cuidam indocto syllabae UR compendia esse videbantur. Alterum signum litterae T non dissimile fuisse videtur (i. e. / vel /) quippe quod cum littera T vel litterae M singulis partibus confunderetur. Confirmatur haec sententia errore, qui a re quam maxime facit quique invenitur in f. 156ʳ l. 25—26 (XLV, 12, 4): POLLICERE|TURABELLAS. In archetypo erat PIGERETTABELLAS; librarius alteram litterulam T signum compendii = UR esse opinatus iam in verbum ineptum (P[oll]ICERETUR pro P[orr]IGERET) fere necessario incidit; itaque factum est, ut vocis TABELLAS in codice Vindobonensi prima litterula desit. — Idem compendiorum genus, quo litterae UR signo notarentur adhibitum fuisse in archetypo codicis Liviani Veronensis rescripti patet ex errore, qui legitur (l. c. p. 142) CX q. XXXII f. 1ʳ l. 22—23; lib. V, 53, 2 TRANSMIGRA|RENTUR pro TRANSMIGRAREMUS, explicandus ille quidem ex archetypi scriptura TRANSMIGRAREM·; librarius enim cum litteram M in duas dissolvisset litteras NT, ex signo compendii iam non litteras US elicere poterat, sed UR adiciendum esse censebat; quod cum fecerit, eum compendii usum ab archetypo non alienum fuisse nobis est testis fide dignissimus.

[1]) Vocis OPORTERET compendium aliquantulum diversum in Gai quoque inst. p. 207 l. 18 invenitur $\overline{\text{O}}$TERET = O[por]TERET.

XLI, 20, 4. Quae in XLI, 20, 4 vulgo probatur Grynaei emendatio quamquam orationi conveniens est, mihi tamen aliam labem traxisse verba videntur, ita ut pro *quidam ludere eum simpliciter, quidam haud dubie insanire aiebant.* scribatur ....*insanire censebant.* Nam ex utriusque verbi scriptura compendiosa INSANECEBANT (= INSAN^{ir}E C^{ens}EBANT) [1] illa probabilius explicatur.

XLI, 21, 13. In cod. f. 12^{r} l. 4 sqq.; XLI, 21, 13 legitur:

CERITES
QUEANGUEMINOPPIDOSUOIUUATU
AUISMACULISSPARSUMAPPARUISSE
ADFIRMABANT...

In Frobeniana altera ita codicis verba emendata sunt: *Caeritesque anguem in oppido suo iubatum aureis maculis sparsum apparuisse adfirmabant.* In qua scriptura recentiores editores non acquieverunt, sed coniecturis aliis locum esse putabant. Sic Hertzius *ravis*, Weissenbornius *flavis* pro *aureis* scribi voluerunt. At tenendum cum Madvigio inventum Frobenianae, quippe quo archetypi scriptura compendiosa in codice Vindobonensi conservata (AUIS = AU^{re}IS) feliciter expleta est.

XLI, 24, 8. XLI, 24, 8. In codicis f. 15^{r} l. 17—18 legitur:

OPPORTUNITATEPROPINQUITATEIPSA
MACEDONIASUMUS...

Vulgata lectio hanc exhibet emendationem: *Opportuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus?* Equidem maiore cum probabilitate corruptelam statuendam esse crediderim ortam ex hac genuina scriptura: OPPORTUN·ITE (= IT^{an}E) *propinquitate ipsa Macedoniae sumus?* Quod compendium a librario incurio ac minus docto fere necessario explendum erat ita, ut scriberet OPPORTUNIT^{at}E;

---

[1]) INSEANE = INSAN^{ir}E hoc loco in codice exstat scriptum; alterius compendii pro litteris ENS positi exempla supra adtulimus.

nam et compendium hoc satis tritum erat et proxima vox PROPINQUITATE litteras AT suppeditare videbatur. Ceterum *itane* etiam alio loco a Livio quamquam non eadem ratione usurpatum deprehendi; cf. XLIIII, 15, 5—6. *iam non deos foederum testis, sed Rhodios habituros. itane tandem? [nî] is pareatur exercitusque de Macedonia deportentur, visuros esse, quid sibi faciendum sit?* — Legendum igitur erit: *Opportuni itane propinquitate ipsa Macedoniae sumus?*

Scripturam codicis f. 21ᵛ l. 15—16; XLII, 3, 2. XLII, 3, 2.

MAGNUMORNAN [1])
TUMETTEMPLOIRATUSADIECTURUM

in editionibus et Madvigiana et Hertziana ita restitutam invenimus: *ornatum ei templo ratus adiecturum.* Sed cur lectionem Frobenianae editionis *ornamentum* deseruerint, non intellego; nam quamquam locus, quo eius vocis usus prorsus similis confirmaretur, l. XLI, 18, 4 *vasa omnis generis usui magis quam ornamento in speciem facta* interpolatis adnumerandus esse videtur, cum *ornamento* ex glossemate, quo verba *in speciem* a Livio plerumque sensu prorsus alio adhibita explicarentur [2]), in textum inrepsisse verisimile sit atque multo magis mihi adrideat legere: *vasa omnis generis usui magis quam in speciem facta,* tenuerim nihilo minus eam lectionem, quae invenitur in Frobeniana editione. Agitur enim iterum de compendio, quod integrum servavit codex Vindobonensis quodque nulla ratione explere licet nisi scribendo: *magnum* ORNA^{me}NTUM *ei templo ratus adiecturum.*

XLII, 3, 11: *quae ad religionem pertinent, cum cura facta; tegulas relictas in area templi, quia reponendarum* XLII, 3, 11.

---

[1]) Sic legitur in codice, non ut Madvigius tradit *ornā|tum.*

[2]) Hartelius *ornamento* glossema esse primus suspicatus vocis *in speciem* usum unico firmavit exemplo Liviano (XLV, 33, 6) aliunde petitis pluribus (*Ephem. Gymn. Austr.* 1866, p. 2).

nemo artifex inire rationem potuerit, redemptores nuntiarunt. Sic vulgo legitur; sed offendit vehementer tempus praesens in verbo *pertinent*, cum verba *cum cura facta* non aliter quam *tegulas relictas — potuerit* a proximo *nuntiarunt* pendere putaverim. Verum fortasse is locus ad haec exempla erit corrigendus: XLIIII, 18, 1 *Extemplo adparuit omnibus, non segniter id bellum L. Aemilium gesturum, praeterquam quod alias vir erat, etiam quod dies noctesque intentus ea sola, quae ad id bellum pertinerent, animo agitabat*; porro cf. XLV, 16, 7 *item quod ad honorem deûm immortalium pertineret, decrevit senatus, ut... dona... Q. Cassius et M. Iuventius praetores curarent danda.* Malim igitur statuere duarum litterarum lacunam ex compendio scripturae (PERTIN^{er}ENT) ortam atque scribere: *Quae ad religionem pertinerent, cum cura facta, tegulas...*

XLII, 15, 9. In cod. f. 32^{v} l. 13—14; XLII, 15, 9 invenimus hanc scripturam:

SOPITUSQUIEXE
MITAPROCLIUITINDECLIUE....[1])

Iterum unanimi consensu et Madvigius et Hertzius Kreyssigium secuti proponunt *sopitusque ex semita proclivi [ruit] in declive.* Sed res mihi aliter se habere videtur. Quis iam credat Livium ita accurate distinguere inter *proclivem semitam*, unde, et inter *declive*, quo sopitus ruerit Eumenes, praesertim cum paulo supra declivem semitae naturam satis accurate nobis descripserit[2]). In archetypo sine dubio legebatur PROC·ITINDECLIUE, quod compendium librarius more solito litteris a proxima quae aliquantum ei quadrare videretur voce praeceptis explevit scribendo PROC^{liu}IT. Sed

---

[1]) Sic (PROCLIUIT), non *procliui*, quod Hertzius habet, in codice legitur.

[2]) Cf. v. 5 *dextra pars labe terrae in aliquantum altitudinis derupta erat.*

nemo non videt explendum esse compendium hoc modo: PROC^{id}IT. Quod verbum ut egregie quadrat, ita saepissime usurpatur a Livio; cf. XXI, 8, 5 *tris deinceps turris quantumque inter eas muri erat cum fragore ingenti p r o c i d e r u n t;* XXI, 14, 2 *turris diu quassata p r o c i d e r a t;* XXVI, 23, 4 *in aede Concordiae Victoria, quae in culmine erat, fulmine icta decussaque ad Victorias, quae in antefixis erant, haesit neque inde p r o c i d i t;* XXXI, 46, 15 *muri quoque pars ariete incusso subruta multis iam locis p r o c i d e r a t;* XLV, 25, 1 *Secundum talem orationem universi rursus p r o c i d e r u n t.* — Legam itaque: *s o p i t u s q u e e x s e m i t a p r o c i d i t i n d e c l i v e.*

Quae viri docti ex litterarum farragine, quae in cod. f. 35^{v} l. 1—2; XLII, 19, 6 invenitur: SEDISCEP|NATISQUEETSATIS, gentium nomina et *Maedos* (vel *Medos*) et *Caenos* et *Astios* et *Sintios* et *Odomantos* et *Sapaeos* et *Serdos* expiscati sunt, num revera olim a Livio posita fuerint perquam dubito. Duae res in tanta rerum incertitudine certae esse videntur: primum significari Thraciae quosdam populos, quorum nomina subesse Madvigius quoque viderat, adparet ex iis quae secuntur (v. 7): *Hos utique populos, quod ab tergo Macedoniae T h r e c i a esset adsumptos in societatem gaudebant*; deinde non idem de Threcum legatis, quod de ignotis illis gentibus posse praedicari, quippe quae nec ipsae Romae aderant nec legatos pro se quaeque miserant societatem petituros; ceteroquin enim ita erat dicendum aut: *Et Threcum, Maedorum.... que legatis ...petentibus...* aut: *Et Threcibus, Maedis... que... petentibus...* Nimirum Threcum legati ut et sibi et amicis illis gentibus societatem impetrarent operam dederunt. Quam sententiam non hercle ineptam ut nanciscamur, medellae, quae fortior nonnullis videatur, erit locus in verbis, quae errandi generibus variis conflatis maxime perturbantur. Sic enim Livium scripsisse conieci: *E t T h r e c u m l e g a t i s s i b i f i n i t u m i s q u e e t s o c i s s o c i e t a t e m a m i c i t i a m q u e p e t e n t i b u s ...*, quae verba cum per compendia sic XLII, 19, 6.

exarata S·IFINIT·ISQUEETSIS (= S^{ib}I[1])FINIT^{um}IS[2])-QUEETS^{oc}IS) non intellegeret, librarius falsa siglorum explicatione usus (S^{ed}I pro S^{ib}I[3]); S^{at}IS pro S^{oc}IS)[4]) nec sine reliquarum litterarum depravatione iam descripsit haec S^{ed}I^{scep}N^{a}TISQUEETS^{at}IS.

XLII, 37, 7–8. Libri XLII, 37, versum 7, in quo ita restituendo inter omnes convenit: *Lentuli circumeuntes Peloponnesi oppida, cum sine discrimine omnes civitates adhortarentur, ut quo animo, qua fide adiuvissent Romanos Philippi primum, deinde Antiochi bello, eodem adversus Persea iuvarent,* in codicis 50^{v} l. 13 sq. (ib. v. 8) haec verba secuntur:

FREMITUMINCO‾ | TIONIBUSFREMEBANT...

In editione Frobeniana pro FREMEBANT invenimus *audiebant;* Vahlenus duas coniecturas proposuit, quarum alteram FIEBANT (i. e. *fremitus*, littera M in S mutata) Hertzius, alteram SENTIEBANT Madvigius praetulit; Seyffertus FEREBANT adiecit. Atque hunc quoque errorem compendio cuidam archetypi, quod non callebat librarius, debendum esse patet. Scriptum autem erat sine dubio SIEBANT = S^{ent}IEBANT. Cum vox quae praecedit (CONTIONIBUS) litterula S terminetur, S intercidere facillime potuit; quo facto id quod restabat IEBANT a librario, qui voce FREMITUM seductus primam litteram F putabat, ad eiusdem vocis similitudinem mutatum

---

[1]) Cf. exemplum ex Vergiliano *F* TI = TIBI Aen. III, 337 (cf. Ribb. l. c. p. 262); porro f. 108^{r} 26 (XLIIII, 7, 5) SIBI (= S^{ib}I) = SINE, quod SI· scriptum fuisse verisimile est; cf. Gai inst. (l. c. p. 74 l. 9 et passim) S· = S^{ine}.

[2]) Cf. f. 166^{r} l. 15 (XLV, 22, 2) AMPLISSIMUMIS i. e.
UM
AMPLISSIMIS, ortum ex AMPLISS·IS = AMPLISS^{um}IS; f. 19^{r} l. 6 (XLI, 28, 9) FELICISSIMUME eodem modo ortum.

[3]) Cf. SEDE = S^{ed}E, SEDEM = S^{ed}EN/ pro SE N^{on} p. 83 et 85.

[4]) Tribus locis hanc vocem depravatam inveni: f. 30^{r} 28 (XLII, 13, 11) MESCIUM = ME S^{o}CIUM; f. 95^{v} 21 (XLIII, 17, 8) SICIAE = S^{o}CIAE; f. 156^{r} 4 (XLV, 11, 10) EXPOSCIO = EX S^{o}CIO; unde cum litteram O ubique suo loco deturbatam esse pateat, ad compendium S^{oc}I... ipsis erroribus ducti pervenimus.

est in FREMEBANT. Commendatur autem coniectura SENTIEBANT et concinnitate orationis (*Lentuli circumeuntes.... fremitum sentiebant...*) et facilitate quadam, cum probata ea coniectura non solum *fremitum* teneri possit, sed etiam litterae ENT alibi quoque suppressae huic voci inserendae faveant. Legam igitur cum Vahleno: *Lentuli circumeuntes.... fremitum in contionibus sentiebant..*

XLII, 43, 9. Orationis series secundum Hertzium XLII, 43, 9.
haec est: *Comitiis praetorîs Boeotorum victa pars iniuriam persequens coacta multitudine decretum Thebis [fecit], ne Boeotarchae urbibus reciperentur.* Locus dubius in codicis f. 56^r 10—11 ita legitur: DECRETUMTHEBISSINEBELLO|ETARCE... Mirum sane est primo editorum neminem haesisse in THEBIS, quamquam et postrema eius lineae verba in rasura exarata sunt et in proximo versu iterum legitur: *Thebas ...revocati decretum faciunt*; sed ut mittam difficultatem, quam eadem verba *decretum faciunt* repetita fere nullo interposito intervallo parant, quid sibi velit loci ubi decretum factum sit nomen, cum eiusdem versus initio enuntiatum legatur: *Thebis magna contentio orta erat ex alio certamine* — non video; deinde unde petierunt editores illud *fecit?* Equidem negaverim in archetypo fuisse DECRETUMTHEBIS atque conlato alio loco (f. 187^r l. 3; XLV, 39, 15), ubi pro DECRETA in codice legitur DECREUIT, sine dubio, quia librarius compendium non in vocis DECRET· (= DECRETA) fine, sed in medio vocabulo adesse ratus (DECRE^{ui}T) scripsit DECREUIT, archetypo vindicare malim scripturam DECRETNEBOETARCE. Quae scriptura litteris UI (= DECRE^{ui}T) explenda cum a librario

EUI
supra scripta syllaba addenda mutata esset in DECRETNE... postea in textum intrusa illa syllaba, porro littera U cum B mutata, id quod sexcenties invenitur, inde factum est DECRETEBINE....; deinde addita quae addenda videba-

tur terminatione IS evasit forma DECRETEBISINE, quam librarium codicis Vindobonensis legisse putaverim. Qui cum praepositionem SINE deprehendere sibi videretur et praeterea non solum constanti archetypi scriptura BOETIA = BOEOTIA, sed etiam omissa in voce BOETARCHAE aspirationis littera H seductus in eo vocabulo prave scripto (BOETARCE) ablativum quem vocant casum ARCE ac particulam ET reperiret, in syllaba BO compendium adesse statuit vocis B^{ell}O. Iure merito autem eum, qui spuriam illam vocem BELLO conflavit, etiam terminationis UM post DECRET additae atque aliquot litterarum insertarum (T, H, S) auctorem esse arbitrabimur. Crediderim igitur ita paulatim depravatam esse scripturam archetypi:

DECRETNEBOETARCAE
EUI
DECRETNEBOETARCAE
DECRETEBINEBOETARCAE
DECRETEBISINEBOETARCAE
DECRETUMTHEBISSINEBELLOETARCE.

Legam itaque: *Comitiis praetorîs Boeotorum victa pars iniuriam persequens coacta multitudine* ***decrevit, ne Boeotarchae*** *urbibus reciperentur.*

XLII, 57, 3. In cod. f. 68^{v} l. 25—26 (XLII, 57, 3) legitur MA|XUMERE. Editoribus recentioribus syllabam RE abundare opinatis *maxume indigne ferentis* scribere placuit. Verum considerato compendiorum usu, quem in archetypo frequentem fuisse probavimus, ad Grynaei emendationem (*maximopere*) redeundum esse adparet, cum MAXUMERE non corruptela censenda sit, sed compendium (= MAXUM^{op}ERE), quod explere librarius neglexit. Legendum igitur erit: ...***maxumopere indigne ferentes...***

XLII, 65, 7. XLII, 65, 7 secundum lectionem vulgatam ita incipit: *ibi cum in orbem milites coegisset, ut densatis scutis ab ictu sagittarum et iaculorum sese tuerentur,*

Perseus.. Sed offendit numerus singularis *ab ictu* eo magis, cum *sagittarum et iaculorum* proxime sequatur. Auget dubitationem meam scriptura codicis f. 77ʳ l. 25—26 haec: UTDENSATIS|SECUTISABIECTUSSAGITTARUM... Nam quamquam ob proximam vocem SAGITTARUM voci ICTU facile adici littera S librarii incuria potuit, tamen mihi quidem iterum de compendio potius satis trito agi videtur, quo dativus quem vocant numeri pluralis omissis litteris IB scribebatur, ita ut in archetypo fuerit ABICTUS = AB ICT^{ib}US. Licet nonnulla id genus exempla iam supra congesserim, tamen non ab re fore arbitror adferre quae praeterea in promptu habeo ad eum compendiorum usum archetypo vindicandum exempla aptissima. Cf. f. 174ᵛ l. 20; XLV, 28, 10 MILITESSIBIUT pro MILITIBUSUT; librarius qui primum confecit apographum, invenit in archetypo MILITUS = MILIT^{ib}US, quam formam ab eo descriptam postea expletam esse litteris IB suprascriptis, ita ut MILITUS (IB suprascr.) inde fieret, verisimile est. Litterae istae deinde in textum inrepserunt, quo facto scripturam MILITUSIBUT, quam partim compendiosam, partim corruptam putabat, explevit auctor eius erroris, qui nunc in codice legitur MILITESSIBIUT. Pari modo accidit in f. 177ᵛ l. 4; XLV, 31, 4 ubi CIUITATEMSIBI scriptum est pro CIUITATIBUS, qui error ex compendio CIUITATUS = CIUITAT^{ib}US explicatur hac ratione: CIUITATUS, CIUITATUS (IB suprascr.), CIUITATUSIB, CIUITATEMSIBI. Denique conferri potest error, qui invenitur in f. 103ʳ l. 20; XLIIII, 2, 6; legitur enim HOSTIBUS pro HOSTILIUS. Origo mendi plana est; librarius compendium archetypi HOSTIUS = HOST^{il}IUS confudit cum compendio magis usitato HOSTUS = HOST^{ib}US [1]). — Quorum compendio-

[1]) Idem compendium in archetypo codicum Vergilianorum usitatum fuisse iam supra adlato quod apud Ribeckium inveni exemplo (CVLMINVS = CVLMIN^{ib}VS ostendi; verum facere non possum, quin corruptelas nonnullas a Ribbeckio (l. c. p. 238) adlatas neque ex litterarum similitudine neque cum Schuchardtio, cui Ribbeckius adsti-

rum frequentia ductus non dubito, quin numerus pluralis restituendus sit; quae sententia etiam locis similibus confirmatur. Cf. XXI, 8, 11—12 *id maxime... pavorem fa-*

---

pulatur, ex vulgari sermone, sed ex compendio archetypi prave expleto explicandas esse contendam. Nam ut errores huius generis:

RADICIMVS (in *P* ge. I, 319) = RADIC^{ib}VS
CONVALLIMVS (in *P* ge. II, 488) = CONVALL^{ib}VS
DENTISUS (in *M* Aen. III, 627) = DENT^{ib}US

id compendii genus archetypo vindicant, ita erroribus, qui iam secuntur:

TRANSNAUIB· (in *M* Aen. VI, 671) = TRANSNAU^{im}US
CANIBVS (in *R* ecl. IIII, 3) = CAN^{im}VS

idem compendium etiam librariis non ignotum fuisse manifestum fit. — In universum mihi codicum Vergilianorum archetypus scatuisse videtur compendiis iisque et in mediis et in extremis vocibus adbibitis atque persuasum habeo, permulta quae Ribbeckius ex litterarum similitudine explicavit menda compendiis archetypi male perspectis deberi, porro plurimas codicum, quos plerumque ad unum fontem redire Ribbeckius docuit, in rebus minoribus discrepantias ex archetypi compendiis a librariis diversis diverse expletis esse explicandas. Exemplorum, quae fere innumera sunt, ne plura adferam, et temporis et libelli spatium angustum vetat; nonnulla tamen eaque nullo labore conquisita hic sequantur (cf. l. c. p. 287–288):

Aen. I, 347 REDDENTVR *P*; REDDANTVR *M1R*; REDDUNTUR *M2* = REDD^{ent}VR.

V
Aen. X, 144 MOERORUM *M*; MEORVM (E corr. in R) *P*; MVRORVM *R* = M^{ur}ORVM.

SS
Aen. XII, 596 INCESSI *P*; INCEDI *M*; INCENSI *R* = INC^{ess}I (non, ut Ribbeckius putat, INCESI, *ubi* S *visa* D; nam inde formae INCENSI origo non adparet).

IS
Aen. VIII, 202 GERYONAE *P*; GERYONE *M*; GERYONI *R* = GERYON· = GERYON^{ae}.

Aen. X, 791 OPTIMA *R*; OPTIME *M*; OPTIMAE *P* = OPTIM· = OPTIM^{a}.

Aen. XI, 366 FVSI *R*; FUSIS *M*; FVSO *P* = FVS· = FVS^{i}.

Eadem ratione Cyprianos codices *M Q T* in unum convergere archetypum erroribus ortis ex male intellectis compendiis optime indicari Hartelius docuit (cf. *Prolegg.* p. XXXIII, XXXIIII, XLI). Eam vero rem in universum in indagandis codicum originibus propagationibusque magis quam adhuc fieri solebat respiciendam esse nemo non videt.

ciebat, quod (ferrum), cum medium accensum mitteretur conceptumque ipso motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat nudumque militem ad insequentes ictus praebebat; XXXIIII, 14, 11 *non caecis ictibus procul ex inproviso vulnerabantur;* cf. contra XXXIIII, 28, 6 *Romani cum tantum a muro recessissent, ut extra ictum teli essent, acie derecta paulisper steterunt;* XLIII, 10, 5 *ceterum ubi primum sub ictu teli fuerunt, duabus simul portis erumpitur.* Malim igitur scribere: *ut densatis scutis ab ictibus sagittarum et iaculorum sese tuerentur.*

XLIII, 1, 8. Scribendum est: *Tum Aquileienses* XLIII, 1, 8.
nihil se ultra scire nec audisse adfirmare...; nam cum et praecedat *pro se quisque credere* (v. 7) et sequatur *enimvero senatus indignari* (v. 9), etiam in hoc versu iungamus oportet *tum Aquileienses adfirmare se nihil ultra scire.* Et revera scriptorem sic voluisse verba coniungi fidem facit parva qua ad id opus est correctio, forma AUDISSE pro AUDERE reposita. Ut enim in f. 39^{r} l. 23 (XLII, 25, 2) AUDENT = AUD^{iss}ENT exaratum est, litteris archetypi AUDE male intellectis, cum et AUD^{er}E et AUD^{iss}E significarent, AUDERE descripsit librarius[1].

XLIII, 7, 10 apud Hertzium sic legitur: ...*aput se* XLIII, 7, 10.
templa omnibus ornamentis conpilata spoliataque; [spolia] sacrilegi eius C. Lucretium navibus Antium devexisse, libera corpora in servitutem abrepta: fortunas sociorum populi Romani direptas esse et cotidie diripi. Medellam, quam codicis verbis (f. 87^{r} 5 sqq. ...SPOLIATAQUESA-

---

[1]) Cf. f. 50^{v} l. 10 (XLII, 37, 7) ADIUUASSENT (= ADIUU^{ass}ENT) ortum ex ADIUUENT = ADIUU^{iss}ENT; porro Aen. V, 786 genuinam scripturam TRAXE (*P2 R*) in *F1 P1* mutatam invenimus in TRAXERE (= TRAX^{er}E), in *M1 F2* in TRAXISSE (= TRAX^{iss}E; cf. Ribb. l. c. p. 278).

CRILEGIIS|C·LUCRETIUM... LIBERACORPORALIBERATAIN..) Gronovius adhibuit, qui pro SPOLIATAQUE proposuit SPOLIAQUE ex archetypi indole egregie confirmari iam adparet; ex SPOLIAQUE enim falsa abbreviatae scripturae suspicione profectum est SPOLI^{at}AQUE, ut ex NOBILITEMPLO, EXCIUITIAMQUE factum esse NOBILIT^{at}EMPLO, EXCIUIT^{at}IAMQUE [1]) supra exposuimus. Sed Gronovium cum scriberet *sacrilegii* verum vidisse negaverim. Magis mihi placet coniungere *sacrilegis navibus*, quod eodem modo dictum mihi esse videtur, quo XXVIIII, 18, 8 Livius scripsit: *ausi sunt nihilo minus s a c r i l e g a s admovere m a n u s intactis illis thensauris.* — Gravius in iis quae secuntur erratum esse videtur contra codicis indolem voce LIBERATA ut mera repetitione eiecta. Nam quamquam permultas in codice inveniri vocabulorum repetitiones non est negandum, tamen persaepe, praesertim cum vox non prorsus eadem repetatur, sed paullum immutata litteris nonnullis plerumque adiectis maiore cum probabilitate de compendio eiusque supplemento cogitatur, quod cum interpretaretur librarius alius vocis vicinae specie propter similitudinem obiecta falleretur; cf. ex eodem libro e. g. f. 84^{r} 16—17 (XLIII, 5, 2) DEPOPULORUM (= DEPOPUL^{at}UM) expletum ad exemplum praecedentis POPULORU¯ (ib. l. 15); eodem modo f. 85^{v} 12—13 (XLIII, 6, 9) RECIPERE¯|TUR propter vicinum EXCIPERENTUR (ib. l. 11) pro REC^{id}ERENT; f. 90^{r} 16 (XLIII, 11, 11) ACCEPERUNT ob proximum ACCEPTA (ib. l. 15) ortum ex ACC^{us}ARUNT [2]); f. 94^{v} 27 (XLIII, 16, 14) CONDSOREM-CONDEMNASSENT ortum ex compendio COREM (= C^{ens}OREM); porro ex l. XLI:, f. 2^{r} l. 6 (10, 2) INLURIDEBANTLUDIBRIIS ortum ex INDEBANT (= IN^{ri}DEBANT);

---

[1]) Cf. p. 85.

[2]) Legam equidem: *Ignominiam Claudi temeritate acceptam elevare eos patres a c c u s a r u n t, qui perpaucos Italici generis et magna [ex parte] tumultuario dilectu conscriptos ibi milites amissos referebant.* In eandem lectionem (*a c c u s a v e r u n t*) iam pridem incidit G. Hartelius (cf. l. c. p. 13).

f. 18^r 3—4 (ib. 27, 2) CONSORSETIAM|CONSORTIS pro C^{ens}ORIS; ex libro XLII: f. 27^r 15 (10, 3—4) CONSERENTURCONSORS pro C^{ens}ERENTUR CONCORS; f. 32^v 14 (ib. 15, 10) PROCLIUITINDECLIUE pro PROC^{id}IT; f. 34^v 15—17 (ib. 18, 4—5) STIMULANTE... STIMU|LANTES pro GR^{at}ULANTES; f. 35^v 25—27 (ib. 20, 3) OPPIDUM.... (27) OPPIDIS pro [H]OstIS; f. 47^v 29 (ib. 34, 9) SUBACTOLIS AETOLIS pro SUBACTIS; f. 50^v 14—15 (ib. 37, 8) FREMITUM ...FREMEBANT pro S^{ent}IEBANT; f. 68^v 23—24 (ib. 57, 2—3) CENSEBANT ...CENSEBANT pro S^{ent}IEBANT; f. 73^v 25—26 (ib. 62, 4) PRAESENTISFOR|TUNAEPRAESENTISHONMINIS pro PR^{ud}ENTIS HOMINIS; f. 77^v 13—14 (ib. 65, 10) CIR|CUMFUNDABANTURFUNDA = CIRCUMDABANTUR; et eius generis plura [1]).

Quae cum ita sint, in archetypo scriptum fuisse crediderim LIBERACORPORALERATA, unde librarius fecit L^{ib}ERATA; at scribendum erat L^{ac}ERATA [2]). Cf. XXI, 2, 6 *tormentis quoque cum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut superante laetitia dolores ridentis etiam speciem praebuerit;* XXIIII, 5, 11 *postremo cum omnibus intolerandis patientiae humanae cruciatibus laceraretur, victum malis se simulans avertit ab consciis in insontes indicium;* XLII, 8, 6... *deditos in fidem populi Romani omni ultimae crudelitatis exemplo laceratos ac deletos esse, tot milia capitum innoxiorum... pessimo exemplo venisse et distractos passim iustis quondam hostibus populi Romani* [*nuper*] *pacatis servire.* Denique conferendus est locus simillimus, ubi vox *laceratio* invenitur, VII, 4, 2 *acerbitas in dilectu non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis caesis, qui ad nomina*

---

1) Cf. Vahlenum l. c. p. 6.

2) Cf. scripturam cod. *Menagiani alterius* (Aen. XII, 98) *celebrare* pro LACERARE (*MPRybc*), equidem contra Ribbeckium (cf. l. c. 357 et 358) non ex archetypi scriptura $\overset{\text{LE}}{\text{CERARE}}$, sed ex compendio eodem LERARE = L^{ac}ERARE explicaverim.

non respondissent, *partim in vincula ductis*, *invisa erat.* Quare ita legendum esse duxerim: *aput se templa omnibus ornamentis conpilata spoliaque sacrilegis C. Lucretium navibus Antium devexisse, libera corpora lacerata, in servitutem abrepta, fortunas sociorum populi Romani direptas esse et cotidie diripi.*

XLIII. 20, 3. XLIII, 20, 3... *Extemplo idem legati addito Glaucia ex numero custodum corporis remittuntur sine mentione pecuniae, qua una barbarus inops inpelli ad bellum poterat.* Ita textum restituerunt et Hertzius et Madvigius mutata scriptura codicis UNDA in *una* eiectaque vocula *non*, quae ante *poterat* legitur. Contra Weissenbornius ita edidit: *qua non data barbarus inops inpelli ad bellum non poterat.* Quae cum a litteris traditis obiter inspicienti nimis videantur recedere, qui archetypi condicionem perspexerit levissimam factam esse mutationem libenter concedet. Nam ex archetypi scriptura N/DA = N^{on} D^{at}A [1]) librarium fecisse UNDA manifestum videtur.

XLIIII, 2, 12. XLIIII, 2, 12 apud Hertzium ita legitur: *Ipse* (*Perseus*) *cum reliquis copiis primo circa Dium stativa habuit, deinde, adeo ut obtorpuisse inops consilii videretur, cum equitibus expeditis litore nunc Heracleam, nunc Philam percurrebat eodem inde cursu Dium repetens.* — Hanc lectionem ferri nequire sensit Madvigius proposuitque: *deinde, credo, ne obtorpuise* videretur.... Sed error multo facilior mihi subesse videtur, cum librarius, qui in eius-

---

[1]) Huius verbi compendia tritissima fuisse videntur; cf. Aen. IX, 153, ubi *P1* CIRCVMDATE (= CIRCVMD^{at}E) exhibet pro genuina codd. *FMR* scriptura CIRCVMDARE (= CIRCVMD^{ar}E cf. Ribb. l. c. p. 280); Aen. IX, 462 in *P* CIRCVMDASVS (= CIRCVMD^{as}VS) pro CIRCVMD^{at}VS (ib. p. 255); porro in Gai inst. (cf. l. c. p. 264) D· passim pro D^{are}; etiam compendium DE = D^{ar}E invenies ib. p. 189 l. 14.

dem capitis v. 6. f. 103r l. 18—19 GA¯|BUNNEOS[1]) pro CAMBUNIOS scripsit, idem ADEO pro ADIO i. e. *a Dio* scribere potuerit. Commisso autem errore sine dubio offensus est particula *ne* intrusitque eam, quae post *adeo* plerumque invenitur, *ut.* Legendum igitur erit: *deinde a Dio, ne obtorpuisse inops consilii videretur, cum equitibus expeditis litore nunc Heracleam, nunc Philam percurrebat eodem inde cursu Dium repetens.*

XLIIII, 8, 7 Hertzius legit: *Hoc flumine obsaeptum iter hostis credens extrahere relicum tempus aestatis in animo habebat.* Mihi neque Hertzii lectio neque ea placet, quam Grynaeus proposuit: *Hoc flumine Perseus obsaeptum...* Codex (f. 109v l. 3—6) habet: XLIIII, 8, 7.

HOCFLUMINEHOSPESETSEPTUM
ITERHOSTISCREDENSEXTRAHEREARE
LICUUMTEMPUSEAAESTATISINANIMO
HABEBAT

Indicium, unde genuina scriptura possit enucleari, suppeditat locus simili modo depravatus (XLIIII, 44, 3), ubi codex (fol. 144r l. 26) exhibet: DEMUMRECEPTOHOSPITEFILIO, ubi iam Grynaeus veram scripturam *sospite* restituit. Eodem modo emendaverim[2]) eum de quo nunc agimus locum legendo: *Hoc flumine [et] sospitem se et saeptum iter hostis credens.*

Expeditis prioris partis difficultatibus ad alterius partis, quae multo maiores sunt, transeamus. Editorum mira prorsus est consensio, cum omnes legant: *extrahere*

---

[1]) Prave notarunt scripturam codicis et Madvigius (*cambunneos*) et Hertzius (*cā|bunneιos*).

[2]) Error ex compendio ortus esse videtur, quo pro SOSPITEMSEET primo scribebatur SOSPE¯|SEET (= SOSP[it]E¯|SEET), quod cum non perspiceret librarius, neglecta et lineola, qua littera M significabatur, et altera littera E mutavit in HOSPESET, quam corruptelam hodie in codice invenimus.

relicum tempus aestatis[1]) *in animo habebat.* Sed vereor, ne haec lectio reicienda sit, cum verba *extrahere relicum aestatis* nec rerum nec temporis condicioni respondere videantur. Invenimus enim Persea ad Elpeum etiam hieme eiusdem atque initio insequentis anni commorantem. Nam et *venientibus Illyriis Perseus ab Elpeo amni ex castris cum omni equitatu profectus ad Dium occurrit*[2]) et postea Gallis venientibus *ab Elpeo ex castris profectus obviam est cum dimidia copiarum parte*[3]). Ubi primum novi duces in provincias veris principio venerunt[4]), Perseus propter adventum simul Aemili novi consulis, quem cum ingentibus minis adventare audiebat, simul Octavi praetoris terrore perculsus ripam munire Elpei fluminis adgressus est, quia sicco alveo transiri poterat[5]). — Ne moras nectamus, mansit Perseus ad Elpei ripas etiam, cum a Romanis circumventum se esse audiisset[6]), donec non multo ante cladem Pydnensem ad regrediendum cogeretur[7]). — Quae omnia tam accurate exponenda censuimus, quo manifestius intellegatur iam ab initio Persea non de reliquo tempore aestatis ad Elpei ripas extrahendo cogitasse, sed loco isto opportunissimo stare per totum tempus belli in animo habuisse.

---

[1]) Grynaeus legit: *eius aestatis.*

[2]) Cf. ib. 23, 7.

[3]) Cf. ib. 26, 5; cf. etiam ib. 27, 4—5 *quae manus quieto sedente rege ad Elpeum adversus Romanos [per] Perraebiae saltum in Thessaliam traducta non agros tantum nudare populando potuit, ne quos inde Romani commeatus expectarent, sed ipsas excindere urbes tenente ad Elpeum Perseo Romanos, ne urbibus sociis opitulari possent.*

[4]) Cf. ib. 30, 1; 32, 5.

[5]) Cf. ib. 32, 10.

[6]) Cf. XLIIII, 35, 18; 39, 9; praeterea Plutarchi vit. Aem. Pauli c. XVI: *Κρὴς αὐτόμολος ἦκε μηνύων τὴν περίοδον τῶν Ρωμαίων. Ὁ δὲ συνταραχθεὶς τὸ μὲν στρατόπεδον οὐκ ἐκίνησε...*

[7]) Cf. Plut. l. c. *Τούτων δὲ τῷ Περσεῖ προςπεσόντων κατὰ τάχος ἀναζεύξας ἦγεν ὀπίσω, περίφοβος γεγονὼς καὶ συγκεχυμένος ταῖς ἐλπίσιν. Αὐτοῖ δ'ὅμως πρὸ τῆς Πύδνης ὑπομένοντα πειρᾶσθαι μάχης ἀναγκαῖον ἦν.*

Verum etiam cum temporis condicione lectio vulgata pugnare videtur. Nam proximo versu narratur eodem fere tempore, quo Perseus ad Elpei ripas se receperat, Popillium missum esse a consule Heracleum[1]) eamque urbem mox terra marique oppugnari coeptam[2]). Cum obsidionis nulla mentio fiat,. immo ab iuvenibus quibusdam Romanis ludicro circensi ad usum belli verso partem humillimam muri captam Livius narret[3]), non errabimus statuentes perbrevi temporis spatio Heracleum esse captum a Popillio. Audiamus iam quid Heracleo capto factum sit. *Et consul capto iam Heracleo castra eo promovit, tamquam Dium atque inde summoto rege in Pieriam etiam progressurus, sed hiberna iam praeparans vias commeatibus subvehendis ex Thessalia muniri iubet...*[4]). Quomodo inter se reconciliari possunt, quae his duobus locis[5]) narrantur, regem extrahere relicum tempus aestatis in animo habuisse eodem tempore, quo consul hiberna iam praeparabat?

Est praeterea alterum argumentum, quo aestatem tum iam fuisse elapsam luce clarius demonstretur. Scimus enim Elpeum amnem aestate exiguum[6]) fuisse atque sicco alveo transiri potuisse[7]); quam ob causam Persea anni proximi vere post Aemili Pauli adventum ripam munivisse Elpei fluminis Livius refert. Unde sequitur amnem istum nisi arte munitum — id quod Persea initio non fecisse ex eodem loco conligitur — munimento non fuisse; cum igitur Persea quinque milia passuum ab urbe Dio citra ripam Elpei amnis castra posuisse amnem ipsum transitu perdifficilem pro munimento habiturum[8])

---

[1]) Cf. XLIIII, 8, 8 *Inter haec consul a Phila Popillium cum duobus milibus armatorum Heracleum mittit.*

[2]) Cf. XLIIII, 9, 2.

[3]) Cf. ib. v. 3.

[4]) Cf. ib. 10—11.

[5]) Cf. XLIIII, 8, 7 et 9, 11.

[6]) Cf. XLIIII, 8, 6.

[7]) Cf. XLIIII, 32, 10.

[8]) Cf. XLIIII, 8, 5.

legamus, non solum eo tempore id factum esse patet, quo aestas maximam partem iam erat peracta, sed etiam Persea non tam *extrahere relicum tempus aestatis*, quam stare ibi in hibernis in animo habuisse, cum hoc flumine arte non munito eo tantum tempore *et sospitem se et saeptum iter hostis credere* posset, quo Elpeus *hibernis incitatus pluviis et supra rupes ingentes gurgites faceret et infra prorutam in mare evolvendo terram praealtas voragines cavatoque medio alveo ripas utrimque praecipitis.* Quae cum ita sint, nisi quid insulsi Livium scripsisse arbitrari malimus, lectionem vulgatam defendere nobis iam non licebit. Atque profecto mirum est correctione, quae in codicis f. 109^{v} l. 4 legitur EXTRAHEREÁRELICUUM, suspicionem viris doctis adhuc non esse motam; equidem ingenue fateor, iam antequam compendiorum usum supra expositum animadverti, corruptam mihi visam esse hanc scripturam ex verbis EXTRAHERACLEUM [1]). Quod ita esse nunc mordicus tenuerim, nisi quod scripturam compendiosam archetypo vindicare malim EXTRAHERAEUM (= EXTRA HERA^{cl}EUM). Nemo non videt, quam facile fieri potuerit, ut librarius verbum inde sibi fingeret EXTRAHER = EXTRAHER^{e}. Crediderim igitur vel iam in archetypo vel in apographo suprascriptas postea esse

CL

litteras supplendas CL (= EXTRAHERAEUM). Iam accuratius inspecto codicis Vindobonensis errore videmus librarium cum pro EXTRAHER, quod compendium putaret, EXTRAHERE scripsisset, exaraturum fuisse proximas litteras AEUM; sed mox conspectis litteris CL vocis RELICUM recordatus iam alterum compendium mente sibi concepit REUM litteris istis suprascriptis explendum (RE^{lic}UM);

---

[1]) *Extra Heracleum* regem tetendisse dici poterat a Livio iure merito, cum Heracleum *in rupe amni imminente positum* esset (cf. XLIIII, 8, 9) i. e. tam exiguo a castris distaret intervallo, ut urbis incolis *ignes ad Elpeum ex regis castris adparerent* (cf. XLIIII, 9, 2).

quare expuncta litterula A repetitaque consona R scripsit RELICUUM novo errore (UU pro U)[1]) commisso.

Scriptura codicis hic restituta etiam in proxima verba accuratius inquiramus oportet. Equidem TEMPUSEA-AESTATIS quod in codice legitur ortum putaverim ex hac archetypi scriptura: TENDESTATIS = TEND^{er}E STA^{iu}IS [2]). Quisquis compendia haec nullo praeoccupatus alius coniecturae studio consideraverit, fere fieri non potuisse concedet, quin librarius, qui iam per errorem scripserat *extrahere relicum*, scripturam archetypi non compendiosam, sed corruptam esse ratus inde faceret *tempus aestatis* (TEMPUSAESTATIS). At unde illud EA ante AESTATIS? Sunt hae litterae absque dubio glossema in margine archetypi adscriptum a quodam, qui eo perlecto alibi non HERA^{cl}EUM, sed HERACLEAM (vel HERA^{cl}EAM) inveniri recordabatur. Si subtiliorem coniecturam proferre licet, nonne ea ipsa scriptura hoc archetypi loco genuina

CL CL

HERAEUM pro forma HERAEAM prava illa quidem, sed quam aliis locis etiam Vindobonensis exhibet, confirmare errorem librarii potuit, quo verbum EXTRAHER· finxerat? Praeterea comprobari videntur quae supra de correctionibus post ipsas pravas terminationes insertas exposuimus, cum litterae EA, quippe quae non correctio, sed glossema sint, non post ipsum RELICUUM, sed alio prorsus loco inveniantur, unde eas in margine adpictas, non in ipsa voce suprascriptas fuisse verisimile fit.

Cuius emendationis a me propositae probabilitas inde quoque adcrescit atque augetur, quod verbum *tendere* Livio non inusitatum est. Cf. XLIIII, 13, 12 *Si Valerio Antiati credas, nec classe adiutum ab eo* (i. e. Eumene) *praetorem esse, cum saepe eum litteris accersisset, tradit, nec cum gratia ab consule profectum in Asiam, indigna-*

---

[1]) Fortasse mentem eius perturbavit scriptura ipsi visa rectior RELIQUUM.

[2]) Cf. exempla supra adlata: TENDESET ortum ex TEND^{er}ET; C^{iu}ITAS.

tum, quod ut îsdem castris tenderet permissum non fuerit; XXVII, 17, 17 *îsdem deinde castris tendebant*[1]*, donec ducibus îs ad hostem perventum est.* — Defenderim igitur legendum esse:

Hoc flumine [et] sospitem se et saeptum iter hostis credens extra Heracleum tendere stativis in animo habebat.

XLIIII, 23, 8. XLIIII, 23, 8. In codice legitur: *ibi ea quae conuenerant circumfuso agmine equitum facta, quos adesse* FOEDERISANCIO *cum Gentio societatis uolebat rex.* Displicet mihi huius loci correctio, quae a Grynaeo profecta adhuc valuit: *sancitae cum Gentio societatis.* Nondum enim *sancita* erat *societas*, etsi Pantauchus Meteone iam *et iusiurandum ab rege et obsides acceperat;* sed agitur de foedere, cui ineundo adesse equites volebat rex, id quod ex verbis proximis *et obsides in conspectu omnium dati acceptique* plane adparet, quippe quae tum demum ratum fuisse foedus indicant. Deinde hoc loco inter *foederis* et *societatis* notionem non ea ratione licet distinguere, qua distinguendum est XXIIII, 6, 7: *Hieronymus legatos Carthaginem misit ad foedus ex societate cum Hannibale faciendum;* unde sequitur, *foederi . . . societatis* eodem modo dictum esse ac XLII, 12, 5 *Boeotorum gentem.. numquam ad scribendum amicitiae foedus adduci potuisse;* cf. eiusdem cap. v. 8. *his eum fultum societatibus atque amicitiis* — ex quo patet utramque vocem de eadem re usurpari a Livio. In qua verborum coniunctione nusquam invenias participium vel gerundivum coniunctum cum genetivo illo a *foedus* suspenso. Accedit interesse aliquantum inter *adesse pugnae*, ut hoc exemplo utar, et *adesse foederi;* neque, si illud dici potest, iam hoc quoque licebit dicere. Quare equidem negaverim, deceptum librarium simili proximae vocis *Gentio* exitu scripsisse *sancio* pro

---

[1]) Coniectura est I. Fr. Gronovii vulgo probata pro codicum scriptura TENEBANT.

sancitae, sed probabilius mihi videtur esse, ut pluribus aliis locis, ita hic quoque agi de scripturae compendio. Omissae erant in archetypo tres litterae[1]) SANCI^end^O. Reponam igitur in hoc versu: *quos adesse foederi sanciendo cum Gentio societatis volebat rex*.

In codicis f. 137ʳ l. 4 sqq. XLIIII, 36, 2 haec inveniuntur scripta XLIIII, 36, 2.

LASSITUDIOET
SITISIAMSENTIEBATURETMERIDIE
AESTATEMAGISADCESSERUNTTUMMOX
ADPAREBARETSTATUITSICADFECTOSRECE-
TIADQUEINTEGROHOSTINONOBICERE

Conlato hoc codicis loco cum adnotatione critica et Hertziana et Madvigiana iam adparet neutrum scripturam codicis ADPAREBARET accurate descripsisse, quamquam ea ipsa voce emendandi huius loci viam monstrari videbimus. Innumera fere sunt quae ad hunc locum sanandum excogitarunt viri docti; verum cum medicinam prorsus alia ratione quaerendam esse mox adpariturum putaverim, missis reliquis Madvigii et Hertzii tantum lectiones adferam. Madvigius ita legit: *Lassitudo et sitis iam sentiebatur et meridie aestum magis adcensurum utrumque adparebat. Statuit sic adfectos recenti adque integro hosti non obicere.* Hertzius proponit scripturam: *lassitudo et sitis iam sentiebatur, et meridiem aestum magis adcensurum mox adparebat, statuit sic adfectos recenti atque integro hosti non obicere;...* Consentiunt igitur et in primo et in ultimo enuntiato, porro in medii enuntiati nonnullis vocibus; uterque enim legit *aestum* pro AESTATE, *adcensurum* pro ADCESSERUNT, *adparebat* pro ADPAREBARET, quae codicis scriptura utrumque praeteribat. Quid vero sibi vult haec forma insulsa? Perquam facile mihi videtur diiudi-

---

[1]) Cf. exempla eiusdem generis ELEGANDO pro ELEG^end^O, DEFENDUM pro DEFEND^end^UM, quod in archetypo scriptum fuisse supra p. 65 et 76 memoravimus.

care hanc quaestionem; agitur de correctione, quae postea in textum intrusa est non eiecta syllaba eicienda:

RE
ADPAREBAT; ex iis enim, quae iam cum taedio fortasse legentium de compendiis scripturae diximus, dubitari nequit, quin origo et erroris et correctionis repetenda sit a compendio archetypi ADPARET [1]). — Quaeritur vero, utra sit forma genuina ADPARE^{ba}T an ADPAR^{er}ET? Quoscumque eius modi adhuc tractavimus locos [2]) ita sunt comparati, ut litterae, quae ad genuinam lectionem pertineant, pone litteras eiciendas inveniantur; quare et hoc loco scriptura ADPAR^{er}ET genuina erit putanda. At unde habetur modus quem vocant coniunctivus? Sunt in codice tres errores prorsus egregii ad inlustrandam hanc quaestionem. Etenim in f. 123^{r} l. 19 (XLIIII, 23, 4) TUMEODE¯ legitur pro CUM EODEM; contra in f. 179^{v} l. 2 (XLV, 32, 10) invenimus RUDISCUMROMANIERANT pro RUDIS TUM ROMANI ERANT; item f. 84^{r} 9—10 (XLIII, 5, 1) CUM|TRIBUNIS pro TUM TRIBUNUS; quid si hic quoque TUM illud molestissimum librarii vel oculis forma litterae T minus accurate exarata vel auribus obscura eius qui dictabat pronuntiatione deceptis ex particula CUM ortum esset? Qua facta mutatione necessarium fuisse adparet compendium illud legere ADPARE^{ba}T. Legamus itaque *cum mox adpareret* [3]) et quid porro faciendum nobis sit inquiramus. Atque ADCESSERUNT recte mutatum est in ADCENSURUM;

BA
[1]) Cf. ecl. X, 10 in *M* PERIRET ortum ex PERIT' = PERI^{ba}T (Ribb. l. c. p. 301).

[2]) Cf. e. g. NOMINISUM, AUCTORESERUNTUIO, MILITESSIBI, CIUITATEMSIBI, DECRETUMTHEBISSINE.

[3]) Madvigio vocula *mox* difficultatem parat; fatetur enim quid in *mox* lateat se nescire. Equidem quid sibi velit ea dubitatio, non intellego, cum significatio particulae istius tritissima (i. e. paulo post) et optime orationis conexui conveniat et alibi quoque eam cum verbo *adparere* a Livio coniunctam esse sciamus cf. XLV, 32, 4 *Id prima specie saevom mox apparuit multitudini Macedonum pro libertate sua esse factum.*

nam ex iis, quae supra de earum litterarum natura exposuimus [1]), UM facillime abire potuisse constat in UNT; accedit compendium scripturae ADCENRUM = ADCEN^{su}RUM, cuius litterae N utramque lineam (II) cum pro duabus SS haberet librarius, legere ADCESS^{e}RUNT iam non dubitavit. Recte etiam mutatum est AESTATE in AESTUM; nam ex compendio AEST·, ad quod necessario reicimur, quid facilius erat quam restitui a librario indocto AESTATE, praesertim si respicias frequentem eius compendii quo AT syllaba omittebatur usum. Quae cum ita sint, dubium non est, quin cum Hertzio contra Madvigium, qui codicis scripturam MERIDIE tenet, legendum sit MERIDIEM idque eo probabilius, cum ea voce l. 5. claudatur atque, nisi iam in archetypo codicis Vindobonensis id erat mendum, librarium neglexisse signum litterae M (MERIDIE¯) non ita temere liceat statuere. Verum restituta hoc modo genuina scriptura proximum enuntiatum arte cum eo, de quo egimus, cohaerere ilico videtur. Itaque legendum censuerim: *lassitudo et sitis iam sentiebatur et meridiem aestum magis adcensurum cum mox adpareret, statuit sic adfectos recenti atque integro hosti non obicere.*

XLV, 6, 10. Hertzius legit: *Tum sese filiumque Octavio tradidit, fortunam deosque, quorum* [*in*] *templo erant, nulla ope supplicem iuvantis accusans.* — In cod. f. 152^{r} l. 13 legitur NULLOTEMPLONULLAOPE. Editores NULLOTEMPLO ex enuntiato quod proxime praecedit repetitum esse rati eiecerunt. At vereor, ne id facilius quam verius fecerint; nam in permultis erroribus, quibus vox quaedam repeti videtur, subesse plerumque aliam vocem in archetypo per compendium scriptam atque a librario doctrinae subtilioris experte ad similitudinem vocabuli alicuius, quod vel antecedebat vel sequebatur, expletam iam supra defendimus. Crediderim igitur TEMPLUM ortum esse XLV, 6, 10.

[1]) Cf. p. 68 ADORIANTUR pro ADORIAMUR.

ex compendio TEL· = T^{ut}EL·[1]), quod librarius explendum censuerit TE^{mp}L·, ita ut pro NULL·TEL· non quod debebat NULLA TUTELA, sed NULLOTEMPLO scriberet. Atque profecto est haec vox Livio sollemnis, ubi de deorum numine praesente loquitur, quod ab iis praesertim, qui in templis commorarentur, sentiri Romani putabant; cf. I, 6, 4 *ut dii, quorum tutelae ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novae urbi daret;* II, 1, 4 *sub tutela inviolati templi.* Ne quis vero formularum *nulla tutela nulla ope*, quarum utraque idem fere significet, alteram utram abundare arbitretur, liceat et adferre locum similem XXIIII, 8, 19.. *consules creetis, quibus sacramento liberi vestri dicant, ad quorum edictum conveniant, sub quorum tutela atque cura militent*, et in memoriam revocare etiam in eiusdem enuntiati membro priore *fortunam deosque* a Perseo accusari. Quare tantum abest, ut tautologiam, quae ceterum miseranti optime convenit, efficiamus inanem, ut orationis aequalitas egregie augeatur, si scribamus: *tum sese filiumque Octavio tradidit fortunam deosque, quorum [in] templo erant, nulla tutela, nulla ope supplicem iuvantis accusans.*

XLV, 10, 11. Verba codicis f. 155^r l. 10—11 (XLV, 10, 11):
QUAEOMNIASITAMENPOPULO
FORETINCAPITANOXIORUMUERSURA
quamquam recte et Weissenbornius et Hoffmann-Peerlkampius restituerunt: *quae omnia, si sana mens populo foret, in capita noxiorum versura*, tamen rectractabo, primum quia nequaquam omnes editores in eam abiisse sententiam, sed adhuc tenere Gronovii coniecturam *si ea mens* Hertzium video, deinde quia et ipse mea ratiocinatione in eandem coniecturam incidi atque habere me puto quae proferam ad confirmandam eam argumenta satis gravia. Lectio *sana mens* non solum optime huic loco respondet, sed locis

---

[1]) Cf. f. 30^v l. 25 (XLII, 13, 11) TUM = T^{ut}UM; porro f. 72^v l. 10 (XLII, 60, 7) TOTO pro TUTO ortum ex T^{ut}O.

similibus Liviano dicendi usui vindicatur. Cf. VIIII, 9, 12: *an, si sana mens fuisset, difficile illis fuit, dum senes ab domo ad consultandum accerserunt, mittere Romam legatos, cum senatu, cum populo de pace ac foedere agere*; XXXII, 21, 37: *hos si socios aspernamini, vix mentis sanae estis?* — Error librarii autem inde enatus est, quod compendio SA = S^an^A non perspecto conexum cum proxima voce suspicabatur; itaque S littera mutata in T, id quod saepius fecisse videtur[1]), scripsit TAMEN. Standum igitur esse videtur ab iis editoribus, qui legunt: *si sana mens populo foret.*

XLV, 12, 7. Consentiunt editores in scriptura: *Legati... Cyprum navigant et inde quae iam vicerat proelio Aegyptias naves, classem Antiochi dimittunt.* At in codicis f. 157^r^ l. 17—18 non *aegyptiae,* ut Madvigius et Hertzius adnotant, sed AEGYP|TIAC invenitur. Quare terminationem suppressam esse putaverim atque scribendum: *quae iam vicerat proelio Aegyptiacas naves.* XLV, 12, 7.

Inter locos in codice sanos, verum ab editoribus depravatos numerandum esse censuerim XLV, 19, 11, qui secundum Madvigium ita legendus est: *Attalum vero, qui aetate proximus sit, quis non pro rege habeat? neque eo solum, quia tantas praesentes eius opes cernat, sed quod haud ambiguum, propediem regnaturum eum, infirmitate aetateque Eumenis sit, nullam stirpem liberum habentis.* — Sane ignoscendum videtur Madvigio, qui codicis scripturam non accurate notatam tractabat; nam in codice neque EUM, neque EUMENES, sed EAM et EUMENIS legitur. At quomodo Hertzius, cui vera scriptura suppetebat, nihilominus XLV, 19, 11.

---

[1]) Cf. f. 161^r^ l. 13—14 (XLV, 17, 2) HABE|BAS = HABEBAT; (nisi forte ex compendio HABEB· ortum est hoc mendum); f. 181^r^ l. 23—24 (XLV, 35, 3) SEXTILI|UM = TEXTILIUM; f. 185^r^ l. 29 (XLV, 38, 13) SUUMQUOQUE = TUM QUOQUE.

emendare potuerit, ubi nihil erat emendandum, non intellego. Equidem teneam codicis scripturam atque sic distinguam: *Attalum vero, qui aetate proximus sit, quis non pro rege habeat? neque eo solum quia tantas praesentes eius opes cernat, sed, quod haud ambiguum, propediem regnaturum: eam infirmitatem aetatemque Eumenis esse*[1] *nullam stirpem liberum habentis.*

XLV, 39, 12—13. Difficillimus est orationis Servilianae locus XLV, 39, 12—13, qui in cod. f. 187r l. 16 sqq. ita exstat scriptus:

OMNIS
ILLASUICTIMASQUASTRADUCENDOIN
TRIUMPHOUINDICAUITALIASALIOSDE—
TEMACTATIQUIDEMILLAEAEPULAESE
l. 20 NATUSQUODNECPRIUATOLOCONECPU
BLICOPROFANOSEDINCAPITOLIOEDUN
TURUTRUMHOMINUMUOLUNTATIS
CAUSAANDEORUMHOMINUMQUEAUC[2]
TORESERUNTUIOGALBATURBATURIES
l. 25 TIS...

Quorum enuntiatorum prius Madvigius partim Frobenianam editionem, partim Gronovium secutus ita reddit:

---

[1]) Sic. in cod. f. 163v l. 20—21 legitur. Cf. Polyb. XXX, 2, 5 (Exc. de leg. p. 166—167): *εἰς δὲ τὸ μέλλον ὁμολογουμένως καταλείπεται διάδοχος τῆς ἀρχῆς, οὐ μακρὰν ταύτης τῆς ἐλπίδος ὑπαρχούσης, ἅτε τοῦ βασιλέως διὰ τὴν μὲν σωματικὴν ἀσθένειαν ἀεὶ προσδοκῶντος τὴν ἐκ τοῦ βίου μετάστασιν, διὰ δὲ τὴν ἀπαιδίαν οὐδ' εἰ βουληθείη δυναμένου τὴν ἀρχὴν ἄλλῳ καταλιπεῖν.* Quod ad usum pronominis *eam* adtinet cf. XLV, 19, 4—5 .. [*Erant*] *enim quidam Romanorum quoque non boni auctores, qui spe cupiditatem eius elicerent: eam opinionem de Attalo et Eumene Romae esse, tamquam de altero Romanis certo amico, altero nec Romanis nec Persei fido socio.* I, 34, 9 *accepisse id augurium laeta dicitur Tanaquil, perita, ut vulgo Etrusci, caelestium prodigiorum mulier. excelsa et alta sperare conplexa virum iubet: eam alitem, ea regione caeli et eius dei nuntiam venisse..*

[2]) Erroris AUCTORESERUTNUIO originem enarravimus p. 62 n. 1 — Prave apud Madvigium codicis scriptura sic notatur: *auctores erunt ulo.*

Omnes illas victimas, quas traducendas in triumpho locavit, alias alio caedente[1]), *mactate.* Hertzius vero legit: *Omnis.... in triumpho dicavit, alias alio ducente mactabitis?* Conlatis horum virorum acumine insignium coniecturis cum codicis scriptura desperandum esse de restituenda genuina oratione Liviana fortasse erunt qui arbitrentur. Verum videamus, annon hic quoque leges istae de compendiorum usu a nobis prolatae nonnihil nos iuvent ad perpoliendum locum satis difficilem.

Atque primum Servilium indignabundum ex militibus quaesivisse, num ipsi in suum usum victimas triumpho destinatas mactaturi essent, negaverim; nam triumpho non concesso vix militibus victimae abducendae donatae fuissent. Ne vero verba ista ita intellegamus: *Num fortasse vobis quae adferet triumphus commoda sumctis, imperatori, cuius in vos ista beneficia erunt, honorem denegabitis?*, prohibemur consilio Servilii, quem animos placaturum apud milites verba fecisse totius orationis tenore docemur; dicendo autem *omnes illas victimas... mactabitis?* vel *omnes — mactate* dubium non est, quin animos ira iam accensos etiam magis inritaturus fuerit. Offendunt praeterea verba ita coniuncta: *alias alio caedente (ducente) mactate (mactabitis)?* cum potius dicendum esset *alias alii caedentes (ducentes) mactate (mactabitis).* Qua ratione permotus equidem ex ALIOS non ablativum, sed adverbium loci *alio* restituam; nam quid sibi vellet ista quaestio, verbis proximis indicavit Servilius, destinatas esse victimas illas, ubi primum in triumpho traductae essent, ad epulas senatus adornandas, quas *nec privato loco nec publico profano, sed in capitolio* tantum edere licebat. Interrogasse igitur videtur Servilius: Ubinam comedent viri senatorii epulas illas triumphales? num victimas, quae iam ad eas instruendas paratae sunt, alias alio ducent atque mactabunt, cum nisi in Capitolio epulas istas nusquam celebrare liceat?

---

[1]) Pro *caedente,* de quo dubitare se ait, *dividente* scribendum esse in adnotatione critica suspicatur.

Atque profecto mihi accuratius consideranti codicis verba sanari posse videntur. Equidem putaverim DE¯|TEM ACTATI[1] i. e. D^{uc}ENTEM ACTAT^{ur}I[2]) inde enatum esse, quod librarius litteram M ab eo qui dictabat per se pronuntiatam terminationis syllabam EM haberet verbo D^{uc}ENT adiciendam; id quod suo quodammodo iure fecerit, nam cum de compendio non cogitaret, voci DENT terminationem adpingere non dubitavit. Legam igitur: *Omnis illas victimas... alias alio ducent mactaturi?* i. e. viri senatorii, cum epulas triumphales privato loco celebrandas non esse ipsi sciatis.

Verum restat sanandum quod his verbis insertum invenimus enuntiatum QUASTRADUCENDOIN| TRIUMPHOUINDICAUIT. Atque verbum UINDICAUIT ferri nequire inter omnes convenit recteque iam I. Fr. Gronovius restituit *dicavit.* Syllaba UIN vero orta ex UM[3]) est correctio, enata ea ex terminationis compendio prave expleto
UM
(TRIUMPH·, TRIUMPHO, TRIUMPHO, TRIUMPHOUINDICAUIT). Eidem librario, qui TRIŪMPHO primus scripsit, sine dubio etiam debetur altera corruptela TRADUCENDO pro TRADUCEND· = TRADUCEND^{as} exaranti Si qui vero Liviani usus loquendi non ignari dicendum esse *traducendas in triumpho* contendant, quamquam *transferre, traducere in triumpho* ubique a Livio usurpari libenter concesserim, tamen tenere malim *in triumphum*, cum coniungenda haec verba artius videantur cum verbo *dicavit* quam cum *traducendas. Dicare victimas in trium-*

---

[1]) Ita legitur in codice, ut aliquantum spatii inter TEM et ACTATI intersit.

[2]) Weissenbornius in ed. Teubn. in hanc formam incidit, quam ex compendiorum legibus iure merito genuinam putabimus; conferre licet exempla supra adlata ex Gai inst. p. 178 l. 11 PROHIBITUS = PROHIBIT^{ur}US; contra ib. p. 90 l. 9 FACTURUM pro FACTUM.

[3]) Turnebi coniecturam *in triumphum dicavit* ex earum litterarum similitudine profectam esse etiam Hertzius in adnotatione critica indicavit.

phum traducendas i. e. eo consilio, ut traducantur, eodem modo dictum est, quo in Caesaris belli Gallici 6, 12 invenimus *dicare se Remis in clientelam.* Restituam igitur terminationem UM, quam genuinam esse ex iis, quae supra de his interpolationibus diximus, iam locus quem occupat indicare videtur atque ita scribam hoc enuntiatum: *Omnis illas victimas, quas traducendas in triumphum dicavit, alias alio ducent mactaturi?*

Versum proximum mirum in modum non restituerunt, sed depravarunt editores; quis enim umquam legit enuntiatum sic contortum: *Quid? illas epulas senatus, quae nec privato loco nec publico profano, sed in Capitolio eduntur* (*utrum hominum voluptatis causa an deorum honoris?*) *auctore Servio Galba turbaturi estis?* Ut ita legeret, Madvigius praeter emendationes quasdam faciliores ac necessarias quattuor locis scripturam mutavit; scripsit enim *quid* pro QUIDEM (l. 19), *illas epulas* pro ILLAEAEPULAE (l. 19), *quae* pro QUOD (l. 20), denique omisit QUE (l. 23). Neque felicius rem gessit Hertzius, qui quidem QUE (l. 23) non omisit, sed cum scripturam codicis HOMINUMQUE tueatur, novis nos implicat difficultatibus perturbata membrorum inter se oppositorum aequalitate, qua et hominum voluptas et deorum honos inter se respondent. Atque ut a prima voce exordiamur, equidem terminationem EM vocis QUIDEM merae librarii ignorantiae deberi negaverim; nam cum vox *quid* non minus trita sit quam *quidem*, aut utramque aut neutram librario notam fuisse concedamus oportet. Quare equidem syllabam EM non eiciendam, sed aliter explicandam censuerim conlato loco similiter corrupto XLIIII, 6, 7 *Sunt enim Tempe saltus, etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis* (v. 8) *Nam.....* In cod. f. 107r l. 12 legitur SUNTENIMP; displicet mihi opinio vulgata, qua librarium aberrasse a littera M vocis ENIM ad M vocis [TEM]P· statuitur. In archetypo scriptum fuisse crediderim SUNTTEMP·; librarius, qui pluribus locis in voce TEMP· describenda lapsus est, neglecta altera littera T in syllaba EM compendium vidit particulae E^n^iM, quam orationi intrusit scribens SUNTENIMP·. Quodsi XLIIII, 6, 7.

omittimus particulam *enim* ac legimus: *Sunt Tempe saltus*... ea emendatione id nanciscimur, ut constructio facilior fiat, cum *difficilis* iam non cum appositione *saltus* ut praedicatum (*Es ist nämlich das Thal Tempe.... schwierig zu passiren*), sed cum praedicato *saltus* ut adiectivum quod vocant (*Tempe ist ein auch ausser Kriegszeit schwierig zu passirendes Thal*) iungendum sit. Id genus explicationes regionum, praesertim si ut ea, de qua sermo est, compluribus enuntiatis continentur, non inepte sine coniunctione iis quae praecedunt adseruntur [1]).

Qua emendatione iam utamur ad locum, in quo corrigendo tamdiu versamur, sanandum. Quid, si illa syllaba EM compendium est particulae E^{ni}M? Deinde illud HOMINUMQUE, quod in codice legitur ortum esse ex HONISFIUNTQUAE mihi videtur [2]). QUAE et QUE persaepe inter se confundi quisquis huius decadis libros accuratius tractaverit satis sciet; UNT et UM in archetypo simillima fuisse supra vidimus. Cumque compendii HONIS (= HON^{or}IS)

---

[1]) Ex codice Gaiano Veronensi (cf. l. c. p. 267 et 282) dupplicem usitatam fuisse huius compendii formam constat, alteram E/χ/, unde et scriptura E̅M̅·, quam notarum Lugdunensium codex Lugdunensis (*Ll*) exhibet, et huius codicis errores, in quibus explicandis versamur, explicantur, alteram /χ/, cuius indicium deprehendi in corruptela f. 42^r l. 28 (XLII, 28, 7), ubi pro IMPERAUIT legitur: ENIMPERAUIT. Nimirum cum in archetypo scriptum esset INPERAUIT, librarius commutata praepositione IN cum simillimo voculae ENIM compendio tritissimo scripsit ENIMPERAUIT.

[2]) Haec cum scripsissem, in locum Plutarchi incidi, quo haec coniectura iam non probabilitatem, sed certitudinem nanciscatur (Plutarchi Aemil. Paul. c. 35): *Ἥκοντος δὲ στρατηγοῦ μετὰ τῆς ἀληθινῆς νίκης ἀφαιρεῖσθε τῶν μὲν θεῶν τὴν τιμὴν, αὐτῶν δὲ χαράν.* Nam quamquam Livius hanc sententiam, qua Plutarchus et deos honore et homines (*αὐτῶν*) voluptate aeque privari dixit, ita immutavit, ut deorum honorem multo pluris esse ducendum Servilium dicentem fingeret, non tamen similitudo tollitur, cum non tantum utrobique et deorum honos (*τῶν θεῶν τὴν τιμήν*) et hominum voluptas (*αὐτῶν τὴν χαράν*) commemoretur, sed etiam de iis, qui ea turbaturi sint, (*ἀφαιρεῖσθε*) sermo fiat.

litterae NI pro M sumeret librarius, ita ut legeret HOMSFIUMQUAE, iam non mirabimur, inde factum esse HOMINUMQUE. Qua ratione cum et tres interrogationes, quae eandem constructionem quam proximae ostendant, et exclamationem, quibus illae apte claudantur quamquam codicis scriptura temere non mutata nacti simus, tuendam esse putaverim hanc lectionem: *Omnis illas victimas, quas traducendas in triumphum dicavit, alias alio ducent mactaturi? Quid enim? illae epulae senatus quod nec privato loco nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, utrum hominum voluptatis causa an deorum honoris fiunt? Quae auctore Servio Galba turbaturi estis.*

CORRIGENDA.

P. 3 not. marg.	*confirmant*	pro	*confirman*
5 l. 8	*tionis*	deleatur.	
7 n. 2. l. 1	*has*	pro	*hat*
10 l. 2	*est; nam*	„	*est, cum*
10 l. 23	*Theadradam*	„	*Theatradam*
10 l. 30	*ipso*	deleatur.	
11	[1])	pro	[4])
13 l. 14	*Liutgerus*	„	*Lintgerus*
13 l. 19	*successit*	„	*succesit*
17 l. 21	*Dorostadiensi*	„	*Dorastadiensi*
18 l. 2	*subscriptorem*	„	*subcriptorem*
22 l. 6	*Ambrasianum*	„	*Ambrosianum*
24 n. l. 2	*significavi*	„	*signifacavi*
25 n. 1. l. 7	*ab*	„	*ba*
29 l. 12	*conexu*	„	*connexu,* qui error saepius inrepsit.
33 l. 16	*quorundam*	„	*quorundum*
40 l. 3	XXIIII	„	XXIII
45 l. 31	XLIII, 3, 5	„	XLIII, 3, 4
46 l. 3	11, 7	„	11, 8
46 l. 13	5, 12	„	5, 13
47 l. 23	33, 2	„	33, 1
54 l. 15	*successit*	„	*succesit*
61 n. l. 21	ARG^{um}ENTUM	„	ARG^{um}ENTUM
64 n. 1. l. 1	*Vaticanis*	„	*Vaicanis*
71 l. 6	MIN^{or}I	„	MIN^{or}RI
86 n. l. 7	S^{ed}EM	„	S^{ed}EM
89 n. l. 1	in	„	*in*
89 n. 1. l. 20	LIB^{er}TORUM, LIB^{er}TA	pro	LIB^{er}TORUM, LIB^{er}TA
95 l. 17	*ῥαστώνην*	pro	*ῥαστάνην*
112 n. l. 1	*compendiis .. expletis*	pro	*compendio. . expleto*
118 l. 3	inseratur *tempus* ante *aestatis*		

